

Werk

Verlag: Spithoever

Ort: Romae

Jahr: 1867

Kollektion: digiwunschbuch; varia

Signatur: 4 BIBL I, 877:1

Werk Id: PPN657494976

PURL: <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PID=PPN657494976> | LOG_0008

OPAC: <http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=657494976>

Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen
Georg-August-Universität Göttingen
Platz der Göttinger Sieben 1
37073 Göttingen
Germany
Email: gdz@sub.uni-goettingen.de

PROLEGOMENA

PARS I.

CODICIS PROPHETARUM IN PALIMPSESTO DESCRIPTIO

I. Vir praeclarissimus atque in veterum librorum investigatione non solum nostrae, sed ferme omnis anteactae aetatis facile princeps, Angelus S. R. E. Cardinalis Mai cum nostram adiret Cryptoferratensis Monasterii Bibliothecam prae omnibus codices in palimpsestis membranis est admiratus. « Illud, inquit, peculiare Cryptensium codicum est quod » pene omnes in palimpsestis scripti fuerunt... Magna est igitur in his codicibus sepultarum scripturarum seges (1). » Ex qua uberrima segete per breve illud tempus, quo rusticaturus Tusculanum concesserat, manipulum suo adiungi Spicilegio Romano adlaboravit. Equidem in hisce rescriptis codicibus plura delitescencia inspexi, quae rem biblicam, patrologicam, liturgicam, hagiographicam, historicam et diplomaticam attingunt; et revera quidem multa adhuc restat messis, multo tamen improboque colligenda labore.

II. Versanti igitur mihi huiusmodi codices ad manus venit codex, qui in antiquo ordine MSS. huius Bibliothecae notis C. 4 distinguebatur; in novo autem codicum syllabo litteris E. β'. VII. adnotatur. Exterius habet titulum Κοινοτάκια καὶ Οἰκοί; atque altera manus adiunxit ἀνάγραφον sive

(1) De Fragmentis historicis Tusculanis §. 2. Spicileg. Roman. tom. II.

Rescriptum (1). Volumen istud magnum sane, ac fere integrum et notis musicis continuo insigne haud certe inter nobiliores eiusdem Bibliothecae mss. libros hac de re tantum esset habendum. Bibliotheca enim nostra quamvis per tot saecula nec temporis iniurias, nec aetatum vices, nec etiam hominum manus vitare potuerit; tamen insignia nobilitatis suae omnia non amisit (2). Remanent quidem multa atque illustria volumina, praesertim quae rem spectant sacram, quaeque doctos et antiquitatis curiosos viros vehementissime alliciunt. Remanent etiam veneranda monumenta sanctorum monasterii Patrum, qui in scribendis libris suam et sociorum maximam contulerunt operam; ita ut iidem sanctissimi viri et Coenobii iacerent fundamenta, et auspiciis scriptisque suis Bibliothecae constituerent primordia; quo et ornamenta addiderunt, et exemplum, a quo numquam declinatum est, venientis aevi ascetis reliquerunt. Hinc factum est, ut iuxta doctissimi viri Bernardi Montfaucon sententiam, hoc Marianum Tusculanense Monasterium scriptionis graecae claram officinam extitisse haud immerito dici poterit (3). Caeterum haec pretiosa volumina fere universa graece descripta sunt, ut fert sacra Monasterii lingua, ubi graeci servantur ritus et graeco sermone iam ab octingentis ac sexaginta annis laudes Domino monachi decantant. Digna propterea est, quae illius Bibliothecae obtineat locum, quam

(1) Hoc notatum videtur manu Epiphani Mazio, qui haud multis abhinc annis magna cum laude in hoc monasterio monachum atque abbatem egit, et in servandis notandisque codicibus multam navavit operam. Id autem fortasse inscriptum voluit, ut omnes primo adspectu certiores faceret hunc librum ex eorum numero esse, qui in palimpsestis scripti fuerunt; uncialium etenim

characterum maxima copia sub novis latitat scripturis.

(2) Cf. Epitome Graecae Palaeographiae, et dissertatio de recta graeci sermonis pronuntiatione auctore D. Gregorio Placentinio hieromonacho Cryptoferratensi Ordinis S. Basilii Magni — Romae — Salvioni 1735.

(3) Cf. eiusdem Palaeographiam Graecam, et Diarium Italicum.

M. T. Cicero
nis opera T.
III. Veru
notitia pra
ginas 380
gritatem de
Singuli qu
dinem num
pag. 345
Quae vero p
collecta su
scapi plus

(1) Cf. ope
lano di M. T.
mia, il Liceo
Tuscolana di
et Danter, le
tom. II. p. 4

(2) Cum
palimpsesti
vulgaretur, c
S. R. E. Card
lecta Juris For

« Il convenait
» vieux texte

» toutes les de
» des manusc

» près de la co
» Il était égale

» rationalisme t
» xandrin sous

» tisme anglais,
» descendit du m

» texte dont le sc
» germanique s'a

» à ses frais une
» les Basiliens

M. T. Cicero in Lycaeo Tusculanae villae, plurimis ex Athenis opera T. Pomponii Attici comparatis libris, instruxerat (1).

III. Verum enim vero codicis nostri distincta quaedam notitia praebenda est (2). Itaque codex iste noster (3) paginas 380 complectitur, atque perpauca folia ad eius integritatem desiderari ipsa liturgica, quae continet, monent. Singuli quaterniones iuxta veterum librariorum consuetudinem numerales seriei notas repraesentant; ac propterea pag. 345 nota illa $\alpha\beta'$ indicat initium XXII quaternionis. Quae vero pone hunc quaternionem sequuntur folia in unum collecta sunt viginti paginarum fasciculum, cum caeteri scapi plus minusve sexdecim paginas complectantur. Pa-

(1) Cf. opellam nostram - Il Tuscolano di M. T. Cicerone. § X. L'Accademia, il Liceo e la Biblioteca della Villa Tuscolana di M. Tullio - Roma 1866. - et Dantier, les monast. Bened. d'Italie tom. II. p. 400.

(2) Cum vix aliquis biblici nostri palimpsesti paulo ante detecti rumor vulgaretur, cl. Io. Baptista Pitra, modo S. R. E. Cardinalis, haec scripsit - Analecta Juris Pontificii - 1862. col. 1417. « Il convenait sans doute que le plus » vieux texte sacré, celui qui après » toutes les découvertes demeure l'ainé » des manuscrits bibliques, fût déposé » près de la confession de Saint Pierre. » Il était également bon qu'un jour le » rationalisme trouvât le manuscrit alexandrin sous la garde du protestantisme anglais, et que sous nos yeux » descendit du mont Sinai ce nouveau » texte dont le schisme aidé de la science » germanique s'apprête à nous donner » à ses frais une splendide édition. Que » les Basiliens de Grottaferrata ne re-

» grettent pas même les écritures enfouies dans leurs nombreux palimpsestes, et qu'ils ne fassent aucun sacrifice onéreux, pas même de leur temps, pour exhumer et raviver ces » textes fossiles.....»

(3) Cum haec scripsissem, haud sine admiratione erga tantam humanitatem, legi lucubrationem cl. viri et in biblicis studiis peritissimi Caroli Vercellone « Un codice greco palimpsesto scoperto dai Monaci Basiliani di Grottaferrata, dissertazione letta dal P. D. Carlo Vercellone Barnabita - Roma 1866 » quam et aliquot post menses novis curis adornatam rursus edidit in collectione periodica, cui titulus « Giornale Arcadico, tom. CXCI. » Vehementer laetabar abs tanto viro quanti faciendus sit palimpsestus noster, scite et erudite ostendi vulgarique; cuius testimonium auctoritatemque ad ea, quae in his prolegomenis dicturus sum, saepe declaranda et confirmanda opportune libenterque proferam.

ginae vero in quanta pateant amplitudine specimen photographicum oculis exhibet. Chartae denique pergamenae nonnumquam perforatae ac peresae, raro quidem madore suffusae, quaedam autem ad extremitatem corrosae sunt.

IV. Novissima codicis scriptura habet non modo Contacia atque OEcos, ut exterius fert titulus, verum etiam et alia liturgica, ita ut longe melius quam in externa parte, inscriptum sit in fronte prioris paginae ab ipso certe libri amanuensi: *Ψαλτικὸν σὺν θεῷ ἐνιαυτοῦ ὅλου ποίημα Ῥωμανοῦ τοῦ μελωδου* « *Deo auspice Psalticum totius anni opus Romani hymnographi* ». Contacia (1), quae inter nobiliora cantica graeci ritus sunt recensenda, S. Romanum melodum sibi principem auctorem vindicant (2). Horum frequens est usus in ecclesiasticis graecorum, uti appellant, ἀκολουθίαις vel ut sacro latinorum more loquar, *Officiis* atque *Ritibus*; ideoque haud raro in ecclesiasticis codicibus occurrunt. Rarissimi tamen sunt codices illi, qui contacia suis οἴκοις omnibus consequentibus exhibeant; cum enim successu temporis consuetudo in sacris invaluerit, ut post Contacion οἶκος unus tantum vel alter concineretur, hinc contigit ut in codicibus, sicut noster est, ad usum ecclesiarum descriptis plures OEci non reperiantur. OEci huiusmodi seu strophae (melius vero italice - *stanze* -) certo modulandi metro iisdemque, quibus Contacium suum, verbis desinentes plerumque in litteris initialibus acrostichida aliquam referunt. Caeterum sedulo animadvertendum est nec omnia esse sancti

(1) Cf. De Immaculata Deiparae Conceptione hymnologia graecorum ex editis et mss. codicibus Cryptoferratensibus latina et italica interpretatione, patrologica comparatione, et adnotationibus illustrata cura Th. Toscani et I. Cozza Monachorum Ord. S. Basilii M. Romae, 1862. Praef. pag. xxxviii. etc.

Ad Typica Graecorum ac praesertim ad typicum Cryptoferratense s. Bartholomaei abbatis, animadversiones Th. Toscani Ord. S. Basilii M. Romae 1864.

(2) S. Romanum Contacia supra mille confecisse testatur eius historia in Synaxario Basilii Porphyrogeniti die 1. mensis Octobris.

Romani opera, et quae eius reapse sunt raro integra reperiri. Ea, quam in nostro codice habemus, Contaciorum cum suis OEcis collectio pag. 338 explicit; alia quaedam deinde sequuntur liturgica, omnia uti Contacia atque OEci, notis musicis distincta.

V. Ubi vero et quando hae membranae ad hanc novissimam scriptionem excipiendam fuerint accomodatae brevi sermone exponemus. Nemini dubium esse potest in monasterio S. Mariae Cryptaeferratae, atque in illius liturgicos usus fuisse descriptas; siquidem pag. 299 et seqq. legimus Contacia atque OEcos in honorem SS. PP. NN. Nili et Bartholomaei Iuniorum, qui eiusdem asceterii fuere fundatores; et p. 363 aliqua quaedam vidimus liturgica, quae ad festum diem Dedicationis ecclesiae eiusdem monasterii pertinent.

VI. Aetas vero scripturae tum ex ipsa apparet characterum figura, tum etiam ex eo, quod ex alio codice perspectum est tempus, quo eiusdem codicis membranae e veteribus distractae codicibus ad alios compingendos libros sunt adhibitae. Adest enim codex antiquitus A. xxvi. nunc vero B. β'. vii. qui historias ac laudes S. Bartholomaei Abb. complectitur, descriptus ab Iohanne Rossanensi Cryptaeferratae monacho anno Domini 1230, quando die xi. mensis Novembris magna cum solemnitate populiue gestientis frequentia abbatis sanctissimi natalis memoria est celebrata. Ab authenticis huiusce rei monumentis referendis abstinemus, cum iam Placentinius noster eadem referat in opere suo eruditus viris probatissimo « De sepulcro Benedicti IX. Pont. Max. (1) » qui abdicato pontificatu monachum heic

(1) De Sepulcro Benedicti IX. P. M. in templo Monasterii Cryptaeferratae detecto diatriba, in qua eiusdem Pontificis pius obitus vindicatur, atque ad mss. codices acta inlustrantur et ca-

stigantur opera et studio D. Gregorii Placentinii S. Theol. Mag. Presbyteri et Monachi Cryptoferratensis ex Ordine S. Basilii M. - Romae 1747. pag. xiii et seqq.

egit, atque sanctissime diem obiit supremum. Itaque cum et ipsa anni memoria in una membrana eiusdem palimpsesti, ex quo et codex confectus est, fuerit descripta, admodum validum nobis praebet argumentum membranas illas novissime saeculo XIII ad novam scriptionem fuisse adhibitae. Quod quidem et ex aliis codicibus, quae eorundem palimpsestorum continent folia (1), fas esset confirmare. Sed cum haec certe maioribus haud egeant argumentis, ad ea, quae sub postrema latent scriptura, perscrutanda devenimus.

VII. Antequam vero de unciali vetustissimo caractere dicamus, alia quaedam in iisdem membranarum olim deleta scripta memoranda sunt, quae sese nobis investigantibus obtulerunt. Plura itaque huius codicis folia non modo semel atque iterum, verum et tertio ad scriptionem sunt accommodata: monumentum in palaeographia sane rarum, et pene dicam singulare (2). Haec autem folia *τριγραπτά*, ex quibus nonnulla Prophetarum fragmenta non sine magna difficultate eruimus, praeter uncialem et illam saeculi XIII scripturam, aliam etiam graecam scripturam saeculi circiter X vel XI exceperunt; quam investigantes deprehendimus Paracleticon in S. Deiparam a divo Iohanne Damasceno concinnatum exhibere (3).

(1) Cf. Codicem Liturgiae A. XVIII, vel F. β. XIII, et Codicem, qui stichera, complectitur C. III, vel E, α, V. qui in nostra asservantur bibliotheca.

(2) Huiusce rei aliquod, rarissimum tamen, exemplum adest. Cf. Tischendorf Monum. sacr. ined. vol. 2. pag. XLII, et Nov. Test. graece editio septima pag. CCXXVI.

(3) De hoc Paracletico adhuc inedito pluries verba fecit Leo Allatius (*Symmicta*... pag. 434, *Prolegomena ad S. Io. Damasceni opera*. LXXXV). In

catalogo operum Damasceni, quae ab ipso transmissa vel transmittenda erant editori Parisiensi num. XLIV. legimus: *Paracletice in B. Virginem secundum octo tonos graecorum distincta, opus magnum et rarum et φιλοπαρθένοis futurum gratissimum*. Forte huic doctorum ac piorum hominum desiderio satis facere sibi proposuerat Iacobus Lequien, qui omnium praestantissimam operum s. Doctoris editionem curavit; sed nescio qua de causa factum est, ut tertium volumen, quod parabat (Praef.

VIII. Sicut
apparent, in
marianum a
rat consigna
sed tantum
sunt, per to
cipias, mar
paginae ad
aetatem; du
quae sacra
ctorum Eo

XXI, in vulg
Migne loc. cit
tanti viri et t
monumentum
quae haud mu
Parisiorum p
praesertim, q
eiusdem op
tensi et altero
raci latinam
an. 1687 edid
editionem Pata
dolensis curav
originalis text
quidem Philip
Cryptoferres, r
palaeographica
cio codice manu
phon descripsit
vit. En inscriptio
phon more in
Enleiden, aut
ραλλιστά τις
τετοπράκτον
βιβλίον (C. XI)
τις Χρυσοστόμου

VIII. Sicuti opere Damasceni abraso liturgica, quae nunc apparent, in nostro codice fuere descripta; ita et opus illud marianum abrasis litteris uncialibus iisdem membranis fuerat consignatum. Uncialis character, cui tamen haud semper, sed tantum per aliquot folia Paracletici odae superscriptae sunt, per totum codicem, ni forte paucas membranas excipias, manifeste apparet. Verum non omnes rescriptae paginae ad eundem codicem, neque ad eandem pertinent aetatem; duplicis enim sunt generis unciales litterae; alterae quae sacra θεόπνευστα Prophetarum scripta, alterae quae sanctorum Ecclesiae Patrum sermones exhibent (1).

XXI), in vulgus non veniret (Cf. edit. Migne loc. cit.). Miramur sane quod tanti viri et tantum Marianae pietatis monumentum in Patrologia Universa, quae haud multis abhinc annis Lutetiae Parisiorum prodiit, desideretur. Id eo praesertim, quod ante editionem Lequien eiusdem operis ex codice Cryptoferrateni et altero Messanensi Ludovicus Marracci latinam et italicam interpretationem an. 1687 ediderit (alteram vero latinam editionem Patavii 1743 Clemens Camaldulensis curavit). Tandem vero eiusdem originalis textus graecus apparuit. Siquidem Philippus Vitali hieromonachus Cryptoferres, vir eruditione graecaque palaeographica arte insignis, ex praedicto codice manu sua diligenter apographon descripsit, typisque tradi curavit. En inscriptio, quam veteri calligraphorum more in fine, pag. ρπθ. adiunxit, Ἐτελειώθη αὕτη ἡ παροῦσα βίβλος τοῦ Παρακλητικοῦ τῆς Ὑπεραγίας, τὰ πρῶτα νῦν τετυπομένη κατὰ τὸν τύπον τοῦ παλαιοῦ βιβλίου (C. XV) τῆς παλαιᾶς ἡμῶν Μονῆς τῆς Κρυπτοφέρρης τῇ κα. τοῦ Ἰαννουαρίου

μηνὸς ἐν ἔτει τῆς ἀπὸ τοῦ κόσμου κτίσεως ᾠσμὸς, καὶ τῆς ἐνσάρκου οἰκονομίας τοῦ Κυρίου καὶ Θεοῦ, καὶ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ αψλς. Liber iste Paracletici Sanctissimae (Deiparae) nunc primum typis expressus ad fidem veteris codicis (C. XV) huius vetusti Monasterii Cryptoferres, absolutus est die XXI mensis Ianuarii anno a creatione mundi 7244, et ab incarnatione Domini et Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi 1756. Nonnullis autem in locis et exemplaribus libri huius nomen suum siglis concinnatum idem editor adiunxit. Praestaret certe, ut caeteris Damascenicis operibus una cum plurimis canticis eiusdem nomine insignibus, hocce Paracleticon graece latineque adiungeretur. Quae habet palimpsestus noster, latitantia fragmenta nonnihil essent huic operi emolumenti.

(1) Haud certe nobis praetereunda res est nos in foliis huius vetustissimi codicis patrologici bis conspexisse celebre illud monogramma P crucis dominicae. In fine enim sermonum pagg.

IX. Huiuscemodi sermones, si quatuor tantum interpositas demas biblicas pagellas (pagg. 335-336, 337-338), univsum codicem a pag. 263 ad finem usque obtinent. Alias praeterea eiusdem collectionis patrologicae paginas vidimus in codice liturgico A. xviii, et in codice choralis C. iii, quos paulo ante commemoravimus. Cumque saepius manu hoc versarem volumen, priorem veteris libri orationem pag. 298 nostri codicis inchoari inspexi his verbis :

Α'. ΕΥΛΟΓΙΟΥ ΑΡΧΙΕΠΙΣΚ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΑΣ ΕΙΣ ΤΟ ΑΓΙΟΝ ΠΑΣΧΑ.

Επ' ὅρος ὑψηλὸν ἀνάβηθι ὁ εὐαγγελιζόμενος σιών

Alterum vero huius collectionis sermonem incipere conspeximus pag. 307 :

Β'. ΑΘΑΝΑΣΙΟΥ ΑΡΧΙΕΠΙΣΚ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΑΣ ΕΙΣ ΤΟ ΑΓΙΟΝ ΠΑΣΧΑ.

Εἰ ταῖς τῶν ἀγγέλων ἐνῆν πρὸς τὸ παρὸν χρήσασθαι γλώτταις

Atque inter aliarum orationum titulos Hippolyti, Chrysostomi et Procli nomina legimus. Sed quamquam hos sermones recognoscere non solum propter scripturae vetustatem, verum etiam ex eo, quod quidam nobis videbantur ἀνέκδοτοι, opus perutile iudicarem; tamen ab huiusmodi indagatione abstinendum duximus, cum ad alia vetustiora biblica palimpsesta manus forent admovendae.

X. Quae biblicas scripturas, scilicet Prophetarum vaticinia, latentes continent folia ad pagellas plus minus 266 nu-

362, 369 legimus maiori caractere descriptum

ΑΜΗΝ P

Multa docti viri Letronne, Cavedoni, Garrucci de hoc monogrammate disse-

ruerunt, et praecipue pluries de eodem egit cl. v. Io. Baptista De Rossi apud Pitra Spicilegium Solesmense tom. IV, apud Vercellone Dissertaz. Accademiche pag. 136, Bullettino di Archeologia Cristiana, an. I. n. 8. etc.

meravimus. In
antiquae scrip
brae adeo
scriptura ex
erere datam
quae in codic
brei quadam
adnexa repe
dem ἀποστολ
rum enim p
gina comple
psesto tres
XI. Unaq
distinguitur
numquam e
plectitur. C
luminae ve
parte ultim
est usus,
vero linea
litterarum,
minores de
paginae ma
praesentent
erat, chara
dum numer
etiam vario
scripsisse de
pressae linea
aliquo fortas
(1) Est codex
veteri syllabo sig
ntem A, α, v.

meravimus. In quibusdam autem vel nullum vel minimum antiquae scriptionis superest vestigium; aliae vero membranae adeo abrasae sunt aut male affectae, ut sepulta scriptura excitari nequiverit. Itaque, quas ex hoc codice eruere datum est, paginae sunt 191. Ea vero ἀποσπασμάτια, quae in codice A. xxvi. de quo superius dicebamus, et in brevi quadam lacinia ad calcem vetusti Menaei Februarii (1) adnexa reperta sunt, suis locis adiunximus (2). Quae quidem ἀποσπασμάτια, cum paginas sex editionis occupent (duarum enim paginarum codicis fragmenta, una editionis pagina complectitur), totius voluminis prophetici ex palimpsesto tres de ducentis habemus plagulas editas.

XI. Unaquaeque pagina in duplicem, ut aiunt, columnam distinguitur, quarum utraque fere semper quinque, nonnumquam et plures usque ad octo lineas supra viginti complectitur. Contigit interdum, ut calligraphus ad calcem columnae verba vel terminaret vel adiungeret sub extrema parte ultimae lineae; qua in re plerumque caractere erecto est usus, quod adnotari in editione curavimus. Singulae vero lineae tribus ac decem plus minus elementis constant litterarum; cum vero aliquando litterae vel grandiores, vel minores descriptae fuerint, hinc factum est, ut nonnullae paginae maiorem elementorum numerum in suis lineis praesentent. In Danieli praesertim, qui postremus in libro erat, character coarctatus apparet. Id vel ad non augendum numerum foliorum fortasse definitum, contigit, vel etiam varios calligraphos varias eiusdem libri partes descripsisse demonstrat. Apparent hucusque profundius impressae lineae illae, quae ad calligraphi manum dirigendam aliquo fortasse ferreo instrumento tum in longitudinem, tum

(1) Est codex Cryptoferratensis in veteri syllabo signatum A. vi, in novo autem A, α, vi.

(2) Vide editionis nostrae pagellas praenotatas numeris 105, 114, 115, 116, 170, 171.

in latitudinem paginae ductae sunt. Margine satis amplo et in superiori et inferiori parte, atque ad externum paginae latus usus est scriptor. Et quamquam postea, ut folia ad novi codicis formam responderent, hinc inde rescissa sint; tamen spatium illud marginis, quod textum duplicis versionis latinae, et nonnumquam adnotationes tum graecas tum etiam latinas capit, apertissime demonstrat membranas, quas habemus, magnificentissimum biblicum volumen olim efformasse.

XII. Quinimo argumentum haud certe praetermittendum ad amanuensis diligentiam aperiendam visae sunt inscriptiones illae, quas ipse in medio superioris partis paginae apposuit. Hae autem inscriptiones, vel tituli, modo nomen prophetae, cuius in illa pagina verba leguntur, modo vero appellativum ΠΡΟΦΗΤΗΣ referunt. Singulae autem inscriptiones litteris uncialibus textu paginae nonnihil minoribus, sed elegantioribus atque erectae formae descriptae sunt, hinc inde signo crucis distinctae et quibusdam, uti nuncupant, arabescis circumdatae. Hoc pacto pag. 13 vidimus:

$\frac{\text{H}}{\text{C}} \frac{\text{A}}{\text{I}} \frac{\text{A}}{\text{C}} \frac{\text{I}}{\text{A}} \frac{\text{C}}{\text{H}}$


et pag. 8, quae in antiquo codice ex adverso praedictae paginae respondebat, scriptum est:

$\frac{\text{Π}}{\text{Ρ}} \frac{\text{Ο}}{\text{Φ}} \frac{\text{Η}}{\text{Τ}} \frac{\text{Η}}{\text{C}} \frac{\text{Η}}{\text{Τ}} \frac{\text{C}}{\text{Η}}$

In huiusmodi titulis apponendis hanc legem servandam sibi statuit calligraphus, ut tantum in fronte paginae primae, octavae, nonae et sextodecimae cuiusque quaternionis adiungerentur; in duobus autem mediis paginis, in altera nomen prophetae, in altera autem tantum ΠΡΟΦΗΤΗΣ scriberetur; in postrema vero rursus nomen prophetae est appositum; ita

ut coniunctis pagellis ultima quaternionis et prima sequentis, in utraque pagina nomen tantum prophetae videre est; quod etiam in editione conspici licet. Qua in re insuper observavimus ad latus exterius primi tituli, in quo est nomen prophetae, notam numeralem quaternionis collocari.

XIII. Hic etiam dicendum aliquid videtur de titulo singulis prophetiis appposito; quem quamvis in fronte prophetiae Isaiae tantum nobis recognoscere datum sit, hinc tamen iure merito concludi posse videtur ad caeteros quoque prophetas pariter inscriptum fuisse. Titulus iste iisdem signis, quibus superiores tituli, sed grandioribus formis, sicut et hic grandioribus litteris, ita scribitur



Unde patet singulis prophetarum nominibus adiectam fuisse notam numeralem ordinis, quo in hoc volumine, sicut et in antiquissimis caeteris, dispositae sunt prophetiae, inter quas Isaiam tertium post decimum locum obtinere constat. Indicia haud dubia liquido manifestant inscriptionem maiorem singulis visionibus, quas in prophetia Danielis legimus, appositam fuisse (1). Quae quidem maiores inscriptiones non atramento ut minores, sed purpureis litteris fuisse descriptae videntur; crucis autem insignia atramento consignata apparent. Hac in re denique hoc unum restat observandum, quod cum in caeteris quaternionum locis inscriptiones, de quibus nunc diximus, in medio paginae ad superiorem partem appareant, titulus autem totius prophetiae collocatus est in fronte unius columnae, uti et nos typis exprimi curavimus.

(1) De huiusmodi visionum Danielis inscriptionibus, quae cum celebri codice Alexandrino Londinensi concor-

dant, conferantur ea quae in postrema Prolegomenorum parte dicenda nobis sunt.

XIV. Quot vero paginis vel quaternionibus hoc volumen constiterit, haud certe determinatu perfacile nobis est. Cum autem veterum calligraphorum in morem positum fuerit singulos quaterniones notis numeralibus distinguere, harum aliquot et in palimpsesto nostro conspicati sumus: videlicet Zachariae cap. X, 3. nota Θ' quaternionis noni: Isaiae cap. III. v. 18. nota ΙΑ' quaternionis decimi primi initium: Isaiae cap. IX. v. 7. nota ΙΒ' quaternionis decimi secundi: Isaiae cap. XIV. v. 9. nota ΙΓ'. quaternionis decimi tertii, et praeter alias, quas in editione nostra adiungi curavimus (1), vidimus tandem notam ΝΓ', videlicet quaternionis quinquagesimi tertii ad cap. IX, 15. Danielis. Aliarum notarum vel nullum vestigium innotuit vestigantibus, vel plerumque antiqua pagina ad novum volumen secando ita est accommodata, ut et eiusdem notae locus ablatus sit. Nihilo tamen secius ex his, quos habemus, numeris inferre licet volumen istud ante Isaiae prophetiam novem quaterniones paginasque sex habuisse. Et cum ex illa numerali nota, quam legimus in fronte libri Isaiae ΗΣΑΙΑΣ ΙΓ, constet duodecim alias prophetias praecessisse, easdem novem quaternionibus paginisque sex inclusas fuisse certum est. Cumque autem initium quaternionis ΝΓ', LIII reperissemus folio codicis nostri 201-202, facile datum est eidem respondens folium 211-212 recognoscere, quod postremum erat praedicti quaternionis in veteri codice. Folium autem istud priores illos attingit versiculos narrationis Draconis Babyloniorum, quae in Daniele ultimum (Cap. XIV) obtinet locum. Itaque supputatione instituta cognovimus, quae eiusdem narrationis reliqua sunt tribus quatuorve foliis facile posse comprehendi; ac propterea totum istud volumen προφητικὸν quatuor ac quinquaginta quaterniones haud plane

(1) Cf. pagg. 51, 67, 77, 89, 127, 131, 135, 139, 144, 149, 166, 180.

explevisse. Iccirco si singuli quaterniones recte eodem foliorum numero constitissent, libri huius vetustissimi plus minus octingentae quinquaginta quatuor paginae numerarentur.

XV. Quibus vero characterum formis haec prophetica scripta sint exarata satis aperte specimen photographicum manifestat. Hae formae, veterum exemplarium comparatione instituta, accedente artis palaeographicae peritiorum iudicio ad eam aetatem, quae inter terminos quinti septimique saeculi continetur, facile referri possunt (1). Quamquam litterae aliquantulum inclinatae sint (2), elegantem tamen nitidamque uncialem scripturam repraesentant; litterae autem continuo altera alteram sequitur absque ulla verborum distinctione. Caeterum cum omnia hoc genus quisque suis oculis in specimine commode valeat considerare, in his haud nobis necesse est pluribus immorari.

XVI. Atramento quidem usus est ad scripturam calligraphus; quaedam vero loca minio exarata conspeximus; quinimo tituli omnes miniati fuerant; ideoque vix unam vel alteram litteram ex iis cognoscere datum est (3). Color enim ille facilius quam atramentum, ablutis abraisque membranis, evanuit. In prophetia Isaiae non modo titulum in fronte libri; verum etiam inscriptiones Visionum et Cantici Ezechiae regis, eiusdemque priorem lineam miniatis characteribus descriptam cognovimus. Eodemque pacto apud Ieremiam notari hebraicam Threnorum numerationem, et apud Danie-

(1) Cf. Vercellone Dissert. cit. p. 14. et opus cl. Attilii Giovannini « Studio storico sulla versione volgata della Bibbia » in egregio periodico — Archivio dell'Ecclesiastico vol. IV, pag. 549.

(2) Si cui negotium facessit inclinatio litterarum, ut de aetate codicis

hinc dubitandi occasio oriri possit, legat quae habet Mai De Republ. praef. pag. XXVI.

(3) Huiusmodi purpureae inscriptionis solemne exemplum repraesentat codex vetustissimus Alexandrino — Londinensis Biblitorum, saeculi ferme V.

lem initia quaedam visionum iudicamus. Praeterea hi tituli varietatem quamdam in litterarum formis praeseferunt; sunt enim caractere minime inclinato, nec non rotundiori, crassiorique descripti. Quae quidem nos maioribus litteris in editione expressimus.

XVII. Cum saepe a linea iuxta sectiones atque praecipuas periodos calligraphus exordiat; hinc factum est ut frequentes sint initiales litterae extra columnas paginarum exaratae. Si quis vero insignis locus sit exordiendus, tunc maiori cura ac coloribus distincta initialis littera describitur; uti videre est initio Cantici Ezechiae, ubi illud € rotundae figurae ex duplici peripheria excentrica ductum est circino, et quod inter duos circulos spatii est, in superiori parte adhuc purpureo tingitur colore; quod et apud Daniele pluries factum fuisse vidimus. In canticis denique, in quibus multo frequentius linea inchoatur, initialis littera quamvis extra columnam sita, et consequentibus maior, tamen caeteris initialibus minor est.

XVIII. Quae in fine lineae describuntur verba, nonnumquam minoribus vel angustioribus formis; nonnumquam vero compendiis nexibusque contracta sunt. Etenim cum fere omnibus calligraphis maxime cordi esset scripturae suae diligentissimam, ut ita dicam, *συμμετρίαν* servare, haud patiebantur lineas nimium excedere columnae terminos. Quae de causa fit, ut non solum eiusdem syllabae elementa in duas lineas dividantur, uti in prima pagina prophetiae Isaiae linea 20 legimus *ου*, quod in sequenti linea per *κ* perficitur; verum etiam ut litterarum nexibus scriptor utatur. Frequentissimus est usus in fine linearum exprimendi diphthongum *αι* per lineolam circumvolutam ad extremitatem antecedentis litterae appositam: K~ pro *και*, et T~ pro *ται*. Lineola pariter in superiori parte litterarum ducta vices explet sequentis *ν*. Nonnumquam *τη* et *γη* in unum nexum copu-

lantur, et
εκεν, in fin
necessitas ex
et o plerun
litteris finalib
probat usus.

XIX. Anim
nomina, quae
medio linearu
perius lineolis
sunt cum su

bre, πρo
aliis magis ar
vior aliaque
de Deo, sed
scribitur; ut

tateuchi et
Ceriani adn
verbum θεο

usurpatur (X
Σπυρος, νεπο

lineola super
quod fortasse
elementorum

XX. Praet
cibus obtinuit

(1) Monumenta
opera Collegii Do
Ambrosianae. Tom
diolani 1864. Ea,
in codice nostro
verbi θεος, servata fu
dice Ambrosiano, li
cuiusque lineae sua

lantur, et μου per μ et μοι per μ exprimitur; et etiam $\Gamma\tilde{\text{N}}$, $\epsilon\kappa\epsilon\iota\tilde{\text{N}}$, in fine lineae usurpatum est. Nos tantummodo ubi necessitas ex postulabat notavimus diaeresin, qua elementa $\ddot{\iota}$ et $\ddot{\upsilon}$ plerumque gaudent. Haec, vero et quae paulo ante de litteris finalibus monebamus, antiquissimorum codicum comprobatur usus.

XIX. Animadversione etiam digna res est, quod pleraque nomina, quae saepius occurrunt, tum in fine tum etiam in medio linearum compendiarie ratione describi soleant, et superius lineolis quibusdam distincta conspiciantur. Hoc genus sunt cum suorum casuum variationibus $\kappa\bar{\varsigma}$ pro κυριος, $\theta\bar{\varsigma}$ pro θεος, $\pi\bar{\nu}\alpha$ pro πνευμα, $\iota\sigma\lambda$ vel $\iota\eta\lambda$ pro ισραηλ, $\delta\bar{\alpha}\delta$ pro δαβιδ vel ut aliis magis arridet δαυιδ aut δαυειδ, $\pi\bar{\rho}\alpha$, $\mu\bar{\rho}\alpha$, $\upsilon\bar{\nu}$ pro πατερα, μητερα, υιον aliaque huiusmodi. At vero quando verbum κυριος non de Deo, sed de homine habetur saepe compendiarie forma scribitur; ut etiam in vetustissimo codice Ambrosiano Pentateuchi et Iosue factum est, atque editor diligentissimus Ceriani adnotavit (1). Et nos insuper animadvertimus neque verbum θεος in nostro codice breviari, cum de diis gentium usurpatur (2). Inter haec compendia verborum ουρανος, ανθρωπος, ιερουσαλημ non una tantum, sed duplici consequenti lineola superne solent distingui; videlicet $\text{ο}\bar{\upsilon}\bar{\nu}\bar{\omicron}\bar{\varsigma}$, $\bar{\alpha}\bar{\nu}\bar{\omicron}\bar{\varsigma}$, $\bar{\iota}\bar{\lambda}\bar{\eta}\bar{\mu}$; quod fortasse vel ex pronuntiatione, vel ex maiori numero elementorum, quae suppressa sunt, contigit.

XX. Praeter hanc alia etiam in vetustis uncialibus codicibus obtinuit consuetudo; videlicet nominibus hominum,

(1) Monumenta sacra et profana etc. opera Collegii Doctorum Bibliothecae Ambrosianae. Tom. III. p. XIII. Mediolani 1864. Ea, quae observavimus in codice nostro circa compendium verbi θεος, servata fuisse etiam in codice Ambrosiano, litterarum numerus cuiusque lineae suadet; quamquam id

a methodo editoris in explicandis compendiis adhibita, non appareat. Confer Geneseos cap. XXXI, 32. Exodi capp. XVIII, 11. XX, 3. 23. XXIII, 13. 24. 32. 33. etc.

(2) Cf. editio nostra ad Isaiae cap. XXXVI, 18. 19. 20. XLI, 23. XLII, 18. et alibi.

nationum atque locorum aliisque, quae propria nuncupantur, nulla alia ratione a caeteris scriptionis verbis diversa apparent, praeterquamquod apostropho in fine consignantur hoc pacto: *ισλ', αιγυπτος', σθειρ', εζεκιας', αρφαδ', αχαζ', σαβαωθ'*. Eadem porro gaudent distinctione verba quaedam asperrimo sonu terminata: *υδωρ', γαρ', χειρ', παραγξ'*; quod tamen haud semper factum esse comperimus. Apostrophon insuper appingi vidimus, sed perraro, ad elisionem litterae innuendam: *αφ' ου, αλλ' εις*. Eadem prorsus ratione nomina huiusmodi ac formas praepositionum ellipticas etiam in percelebri codice biblico, quem Alexandrinum-Londinensem appellant, novimus notari.

XXI. Ut de aliis etiam orthographicis signis, quae conspicientibus nobis occurrerunt, aliquid dicamus, imprimis interpungendi rationem quod spectat, lectores monemus neque semper, neque apertissime signa hoc genus in palimpsesto potuisse dignosci. Attamen, uti plerumque videre datum est, quando periodus aliqua explicit, et ab initiali littera maioris formae periodus, quae sequitur, exorditur, ita ut ultima praecedentis periodi linea alterum columnae suae terminum non attingat; tunc tribus commatis signis, vel ut aiunt virgulis in hunc modum *;*, dispositis, aut duobus punctis *(:)* utitur calligraphus. Alias vero ubi sensus et verborum series expostulat, brevi spatio inter continua verba vacuo adiungitur punctum ad superiorem partem litterae, vel ad mediam, rarius vero ad inferiorem collocatum. Puncta huiusmodi aliquando ita in lineolam acutam vel etiam curvatam inferius desinunt, ut potius notae commatis, sive virgulae forent appellandae. Virgulae vero, seu *υποδιαστολαι*, ut appellat Epiphanius (1), magis ad commoditatem atque facilitatem legentium, quam ad necessitatem

(1) De Mensur. et Ponder. II.

sensus verborum videntur inductae; quippe cum, ut in veteribus codicibus est consuetudo, nulla inter sese spatii distinctione verba separentur; sed omnia ad finem usque lineae coniuncta exscribuntur. Huiusce rei exemplum ex eadem photographici exemplaris pagina patet; etenim circa initium prioris columnae legimus ἀποστέλει|αυτοὶς κ̄ς̄ ἀνὸς, σω|σει αὐτούς, et in postrema alterius columnae linea Πορεύου καὶ ἀφελε, τον|σακκον. Quae commatis distinctiones tum inter relativum ος et verbum σωσει quod ab ipso pendet, cum etiam inter verbum ἀφελε et nomen τον σακκον quod ab illo regitur, nequaquam locum sibi poterant vindicare.

XXII. Quid denique nobis dicendum restat de accentibus deque spiritibus? Ut rem singulatim attingamus haud certe silentio erat praetereundum nos saepenumero incidisse in verba spiritu aspero vel, uti appellant, denso signata; spiritum vero lenem vel tenuem fere numquam vidimus. Spiritus quidem forma perantiqua est, qualis in vetustissimis ac etiam uncialibus characteribus apparet. Si vero quasdam pagellas (1) excipias, in quibus ex eorumdem signorum forma apertissime patet tum utrumque spiritum, tum accentus omnes a recenti manu fuisse apposita, in caeteris longe rarior est accentuum usus; pluribus autem in locis atramenti diversitas diversum a calligrafo codicis fuisse scriptorem accentuum spirituumque apertissime manifestat. Illos autem, qui quibusdam in locis codicis elegantiori, ut ita dicam, stylo ducti sunt, quaerimus primus ne codicis calligraphus, an alius postea appinxerit. Quaestio haec tum maxime a nobis erat movenda, cum reperissemus titulos illos inscriptionesque, de quibus nuper

(1) Cf. Sophoniae et Zachariae fragmentum in editione nostra pag. 172, 173, 177-189. Accentus, qui iis in locis super diphthongos apparent, me-

dium inter utramque litteram locum occupare videntur; vel potius ad priorem inclinant, ut nos servandum curavimus.

diximus, purpureo quidem caractere descriptas, sed accentus spiritusque atramento designatos praeseferentes (1). Quod volumus, ut omnibus manifestius innotesceret ex illa pagina, quam speciminis gratia selegimus. Conspicientibus enim patet lineas aliquot chemico apparatu investigatas nullas apparere ex eo, quod uti semel atque iterum monuimus, minio fuerint exaratae; attamen accentus atque spiritus atramento consignati eadem ratione, qua in reliquo textu ibidem visuntur. Unde aperte liquet tum accentus tum spiritus alteram manum, nusquam vero primam, adiunxisse. Quod et in aliis vetustissimis codicibus contigisse pleraque exempla demonstrant. Heic tantum nobis liceat referre, quae animadvertit cl. Tischendorf de unciali textu Novi Testamenti, quem eruit e celebri codice rescripto Ephraemi Syri; testatur (2) enim adesse in eodem codice « *accentus et signa, quae a tertia manu litteris miniatis atramento superimposita, propterea ne nunc quidem deleta sunt.* » Hinc igitur eruditus lector iudicium

(1) Quamquam haec ita se habeant, tamen in repraesentando codice incidimus in fragmentum Ieremiae (Cap. XXV, in editione nostra pag. 115) quod aperte titulum minio decorum, accentibus et spiritibus distinctum praeseferebat. Et cum typorum defectu in editione omnia exprimere nequeamus, heic titulum ut iacet, in codice collocamus:

— ΑΕΠΡΟΦΗΤΕΥΣΕΝ —

ΙΕΡΕΜΙΑΣΕΠΙΤΑ

— ΕΘΝΗΤΑΑΙΛΑΜ —

Diu multumque rem consideravimus, et iam a sententia superius exposita nobis resiliendum esse videbatur. At vero, re subtilius considerata, aperte co-

gnovimus genus minii in hac scriptione minime convenire cum eo, quod in fronte Isaiae et alibi apparebat. In hoc enim Ieremiae loco valde crassior materia, et color vividior est; ita ut, deletis fere omnibus, quae atramento eadem in pagina fuerant exarata, praedictus titulus, veluti nuper descriptus, adhuc sese prodat. Ex quibus facile erat concludendum inscriptionem veterem posterius, novo purpureo colore imposito, instauratam fuisse; et tunc etiam spiritus atque accentus, qui in aliis locis non apparent, fuisse adiunctos; idque eo praesertim quod iidem accentus spiritusque haud videntur alteram expertos esse manum.

(2) Prolegom. sect. I. § 5.

ferat suum, ut si quis, sicut nonnullorum fert opinio, ex usu accentuum spirituumque codicis antiquitatem inficiari contenderit, videat quam falso sententia sua fulciatur fundamento.

XXIII. Ut absolutior codicis nostri evaderet descriptio, aliquam notitiam textus latini, atque etiam quarundam graecarum adnotationum, quas circa marginem codicis inspeximus, heic necessum addere videretur. At cum de iis fusius nos dicturos suis in locis proposuissemus, tunc etiam eorumdem, ut ita dicam, descriptionem praebere statuimus. Pergamus modo ad quasdam in graecum textum criticas animadversiones aperiendas.

P A R S II.

ANIMADVERSIONES CRITICAE AD GRAECUM TEXTUM PALIMPSESTI PROPHETARUM

XXIV. Nil antiquius, nihilque religiosius christianis graeci nominis viris umquam fuit, quam sacrarum Litterarum Veteris Testamenti versionem illam, quae Septuaginta duorum interpretum dicitur, retinere omnique studio servare. Et quamquam homines hebraicam linguam apprime callentes, et omni scientiarum cultu praestantes in orientalibus orbis christiani regionibus extitissent, qui vel varietates inter hebraicum et LXX viralem textum accurate investigarent, vel novas a primitivo idiomate versiones suo Marte procuderent; tamen haec una LXX versio in honorem semper habita, usuque perpetuo est recepta. Quod quidem et apud occidentales observatum est ab ipsis ecclesiae primordiis fortasse usque ad S. Gregorii Magni tempora, quando versio hieronymiana locum illius, quae ex LXX deprompta *vetus* vel *Itala* appellabatur, vel aliarum, quas teste Augustino multas multi ex graeco fecerant, tandem obtinuit. Tanta vero eius fuit semper auctoritas, ut certe nemini, neque S. Hieronymo in mentem venisset operi sancto quidem ac laborioso, novae ex hebraico fonte versionis manus admove-
vere, ni ipse in minus emendata eiusdem textus exemplaria incidisset. Ac iure merito; siquidem haec Bibliorum V. T. versio in sacris authenticis ac, quasi dixerim, primigeniis N. T. libris afflante Spiritu Sancto scriptis ab Evangelistis et Apostolis adhibita est. Hinc factum est ut huiusce versionis librorum copia et usus frequens, et maxima in iis exscribendis cura, et in custodiendis sedula foret diligentia; proin-

deque qui vetustissimi adhuc in toto terrarum orbe supersunt graeci codices Bibliorum V. T., versionem a praedictis interpretibus adornatam excipiunt.

XXV. Talem in numerum hocce propheticum palimpsestum, quod non modo latens, sed veluti penitus extinctum ad lucem revocare ac eruditorum in usum adducere contendimus, reponendum est. Etenim copiosa, quae eruimus, prophetarum fragmenta ad hanc pertinent LXX virorum translationem, ut cuique paululum consideranti manifeste elucet. Et cum hunc textum cum aliis contulissemus, et ad eos, qui maioris sunt pretii, quique vetustissimi habentur, quamproxime visus sit accedere, nullum nobis dubium reliquum fuit, quin inter nobiliora exemplaria LXX interpretum codex esset adnumerandus. Quod quisque suis oculis in hac editione sibi poterit persuadere.

XXVI. Verum etsi heic versionem LXX virorum haberi asserere non dubitamus; tamen, uti caeteris graecorum sacris codicibus solemne est, neque in nostro prophetia Danielis, quae ab iisdem interpretibus fuit graecis consignata litteris, invenitur (1). Quandoquidem cum ad hanc prophetiam ventum sit, non modo in biblicis codicibus, sed etiam in usu liturgico versio Theodotionis, loco versionis praedictorum interpretum usurpatur. Tantumque invaluit huius commutationis consuetudo, ut unus tantum, qui innotescat, modo supersit Chisianus codex, in quo haec Septuaginta versio reperiatur. Ex eo codice splendida facta est editio Romae anno MDCCLXXII (2); et alii cae-

(1) S. Hieronymus Praef. in Daniel ait: « Daniele Prophetam iuxta LXX » interpretes ecclesiae non legunt, utentes Theodotionis editione; et hoc cur » acciderit, nescio. »

(2) Huius editionis non modo cura-

tor, sed etiam auctor in vulgus praedicabatur Simon (conf. Tischend. Proleg. V. T. graece p. XLVIII) De Magistris; sed postea ex authenticis testimoniis confirmatum est, quod omnis in Daniele atque in Ezechielem ex

teris membris hoc eiusdem corporis membrum per tot saecula divulgum adiunxerunt, ut A. Mai in sua Romana Graecorum Bibliorum editione, quae ex codice vetustissimo Vaticano, aliisque vetustate et pretio praestantissimis constructa est. Caeterum codex noster abs caeterorum consuetudine non discedit, et in Danielis prophetia versionem retinet Theodotionis (1).

XXVII. Fragmenta, quae ex hoc prophetico codice collecta sunt, plura Isaiae habemus; quippe qui cum et caeteris sit prolixior, sic maiorem nobis copiam suppeditavit; eius enim prophetiae paginas 113 edidimus. Caeteri vero prophetarum, quamquam messem haud tam copiosam conferrent, permultae tamen et ex iis collectae sunt reliquiae ad paginas octuaginta quatuor. Quae non modo exhibent ἀποσπάσματα prophetiarum Oseae, Amos, Sophoniae, Aggaei, Zachariae, Malachiae, Ieremiae, Baruch, Ezechielis, et Danielis; verum etiam aliqua ex Threnis atque Epistola Ieremiae, necnon ex historiis Susannae, et Draconis et Beli. Ex his sperabamus Malachiam integrum e distractis foliis restitutos, sed casu, nescio quo misero primum eiusdem prophetiae folium excidit. Heic singula, quae de singulis prophetis habemus fragmenta membratim recensere minime necessum esse arbitramur, nam in fronte uniuscuiusque paginae editionis nostrae, non modo prophetae nomen; sed etiam capitis atque versiculi, quae initium finemque pagellae obtinent, numerum adnotavimus.

XXVIII. Sed ut melius pateat quanti huiusmodi Bibliorum fragmenta sint facienda, rem penitus perscrutetur oratio nostra necesse est. Atque in primis cum ad patriam codicis

codice Chisiano lucubratio Vincentium De Regibus habet auctorem. Cf. editionem Ezechielis, Romae an. 1840.

(1) Res certe haud indigna notatu

est, in inscriptione Danielis, quam vidimus in codice Marchaliano, de quo inferius dicemus, legi:

ΔΑΝΙΗΛ ΚΑΤΑ ΘΕΟΔΟΤΙΩΝΟΣ.

revelandam n
remnant, av
recognoscere
cogimur revo
et unde sint
paginarum or
mas animadve
tudine usuque
pensa certior
fuere, totum
artis experti,
versati, quos i
Vercellone, et
dialecto Alex
nuenses usita
igitur auctori
bit, ut inde e
faciendum s
epenthesis l
tai, ἀναληφ
usus in Aegy
docti atque e
papyris, in sa
runt. Alexan
compositis ve
non immutatu
συλλογουμενος
pro προαγα, et
(1) Dissertazione
Codice Vaticano del
Prolegom. ad Codice
rescriptum - Anecd
pag. 7. - Prolegom.
iuxta LXX Interpre

revelandam nullae praesto sint descriptae notae, ipsa, quae remanent, avulsa membra vestigare, et verba diligentius recognoscere, et quicquid vel minutissimum ad trutinam cogimur revocare, ut haec voce, ut ita dicam, sua quid, et unde sint manifestent. Consideranti igitur mihi harum paginarum orthographiam pluries scribendi peculiares formas animadverti, quae nonnisi ex speciali quadam consuetudine usuque hominum poterant venire. Reque sedulo perpensa certior factus sum modos illos, qui Alexandrinorum fuere, totum codicem occupare. Viri docti, palaeographicae artis experti, ac praecipue in vetustis Bibliorum codicibus versati, quos inter honoris causa appellamus cl. viros Carolum Vereellone, et C. Tischendorf(1), complures scribendi formas dialecto Alexandrinae proprias et apud Alexandrinos amanuenses usitatas observare atque adnotare curaverunt. His igitur auctoribus nonnullas Alexandrinas formas referre iuabit, ut inde eluceat quid de graeco textu codicis nostri iudicii faciendum sit. In primis inter huiuscemodi formas occurrit epenthesis litterae μ praecipue in verbis $\lambda\eta\mu\psi\epsilon\tau\alpha\iota$, $\lambda\eta\mu\phi\theta\eta\sigma\epsilon\tau\alpha\iota$, $\alpha\upsilon\alpha\lambda\eta\mu\phi\theta\epsilon\iota\varsigma$ etc., cuius epentheseos frequentissimus est usus in Aegyptiacis, quae supersunt, monumentis, sicut viri docti atque eruditi (2) in fragmentis graeco-thebaicis, in papyris, in sacris Coptorum libris observatum esse voluerunt. Alexandrinis formis adnumeratur illud ν , quod in compositis verbis in alias litteras iuxta sequentem vocalem non immutatur: $\sigma\upsilon\lambda\lambda\upsilon\pi\omicron\upsilon\mu\epsilon\nu\omicron\varsigma$, $\epsilon\upsilon\phi\omicron\beta\omicron\iota$, $\sigma\upsilon\upsilon\beta\alpha\sigma\iota\lambda\epsilon\upsilon\sigma\omega\mu\epsilon\upsilon$ etc. pro $\sigma\upsilon\lambda\lambda\upsilon\pi\omicron\upsilon\mu\epsilon\nu\omicron\varsigma$, $\epsilon\mu\phi\omicron\beta\omicron\iota$, $\sigma\upsilon\mu\beta\alpha\sigma\iota\lambda\epsilon\upsilon\sigma\omega\mu\epsilon\upsilon$. His adiunge $\tau\epsilon\sigma\sigma\epsilon\tau\alpha\iota$ pro $\tau\epsilon\sigma\sigma\alpha\tau\omega$, $\epsilon\lambda\theta\epsilon\tau\omega$ pro $\epsilon\lambda\theta\epsilon\tau\omega$ (3), $\eta\lambda\theta\omicron\sigma\alpha\upsilon$ pro $\eta\lambda\theta\omicron\upsilon$, $\epsilon\chi\omicron\lambda\epsilon$

(1) Dissertazione – Dell' antichissimo Codice Vaticano della Bibbia greca – Prolegom. ad Codicem Ephraemi Syri rescriptum – Anecd. sacr. et profan. pag. 7. – Prolegom. ad V. T. graece iuxta LXX Interpretes. Lipsiae 1860.

Ad rem cf. Nickes, De V. T. codicum graecorum familiis. pag. 7.

(2) Georgi, Asseman, Hug, Peyron.

(3) Beelen. Gramm. Graecitatis Novi Testamenti § 13 – Buttmann. I. 404.

θρευω pro εξολοθρευω (1), augmentum verborum neglectum οικοδομησεν pro οικοδομησεν, εμμεσω pro εν μεσω, aliaque hoc genus. Denique inter has formas recensetur usus illius ν, quod ἐφελκυστικὸν vel παραγωγικὸν grammatici appellant, quodque non modo quando explicit sententia, aut sequens verbum vocali inchoatur, sed fere semper tertiis, ut aiunt, personis verborum caeterisque, quibus adiungi potest, vocibus apponitur.

XXIX. His itaque positis si ad palimpsestum nostrum oculos convertamus, tantam verborum copiam hac ratione descriptorum reperiemus, ut minime in iisdem exquirendis sit adlaborandum. Quinimo hanc inquisitionem vellem prorsus praeterire, cum cuique textum nostrum consideranti haec animadvertere quamsaepissime occurrat; verum ut rem summis, ut ita dicam, labiis delibemus, paucula, quae forte prima occurrerunt adnotamus. Isaiae Cap. IV, 1. επιλημψονται, Is. XV, 5. συνσισμος, Is. IX, 8. ενκαθημενοι, Ezechiel. X, 21. et Daniel. VII, 17. τεσσαερα, Is. XXVI, 2. εισελθατω, Ezechiel. XL, 4. εορακας, Is. XXIV, 5, et XXXIV, 16. παρηλθοσαν, εξολοθρευω variis in locis codicis et sub variis verbi formis, et saepe εμμεσω (2) vidimus. Illud ν paragogicon non modo in singulis paginis, imo etiam lineolis offendas necesse est. Ex quibus dubium esse potest nemini codicem istum in his formis cum reliquis convenire, quos ex hoc capite Alexandrinos esse eruditi iudicarunt. Iam vero novimus quod plerique horum doctorum hominum hac animadversione permoti statuerunt codices percelebres Bibliorum, quos appellant Vaticanum, Sinaiticum, Alexandrinum, Ephraemi Syri Rescriptum, et Cantabrigensem, patriam habuisse Alexandriam, vel regionem Aegypti proximam. Quapropter cum huius-

(1) Rectius quidem hoc factum fuisse credimus; siquidem ἐξολοθρεύω suo respondet themati ὀλεθρος.

(2) Istud εμμεσω alia manus saepe corrigendum voluit εν μεσω, ut in annotationibus videre est.

modi Alexand
palimpsesto e
iuria ab ea ca
XXX. Sed
eo securius d
chendorf (2)
consentientes
scribendi rati
cari mihi vid
xandrinam s
gione scripto
certissimum,
nibus agatur
potuisse nen
exarato, co
ut quae fui
dem apogr
tum testim
monument
rum officin
gantissimar
viri, sed et
(1) Annali de
Roma 1839. vo
(2) Cod. Eph
(3) Dissertaz.
Dissertaz. Accad.
(4) Monumenta
III. praelat.
(5) Palaeograph
(6) Ad haec r
Euseb. in vita Con
37; sed codices, d
bium sermo est.
quam Alexandriae

modi Alexandrinae formae sint eadem et Cryptoferratensi palimpsesto et codicibus praedictis; certe immerito atque iniuria ab ea caeteris communi patria codex iste excluderetur.

XXX. Sed hac in re aperte dicam quid sentiam, atque eo securius dicam, quo cl. viros I. Secchi S. I. (1), C. Tischendorf (2), Vercellone (3) et Ceriani (4) mihi comperi consentientes. Canon istiusmodi critico-palaeographicus exscribendi ratione petitus tum tantum satis sibi roboris vindicari mihi videtur, cum aliae reperiantur notae, quae Alexandrinam suadeant originem. Nam etsi probabile de regione scriptoris argumentum, tamen non ex omni parte certissimum, praesertim cum de sacris Bibliorum voluminibus agatur, inde haberi potest. Quandoquidem fieri utique potuisse nemo inficiabitur ab alio libro vere Alexandriae exarato, codicem alterum adeo fideliter exscriptum esse, ut quae fuissent in exemplari Alexandrinae formae, easdem apographon referret. Cumque urbem Alexandriam tum testimonio Montfaucon (5), tum ex ipsis historicis monumentis, librorum ac praecipue sacrarum Scripturarum officinam non solum locupletissimam (6) sed et elegantissimam (7) noverimus extitisse, in qua non modo viri, sed et puellae (8) quidem industri manu librariorum

(1) Annali delle scienze religiose. Roma 1839. vol. IX.

(2) Cod. Ephraemi rescript. p. 17.

(3) Dissertaz. del Codice Vaticano. Dissertaz. Accad. Roma 1864. p. 115.

(4) Monumenta sacr. et profan. tom. III. praefat.

(5) Palaeograph. graec. pag. 108.

(6) Ad haec refertur a quibusdam Euseb. in vita Constantini M. l. IV, 36, 37; sed codices, de quibus apud Eusebium sermo est, in Palaestina potius quam Alexandriae exarati esse videntur.

(7) Cf. Nicetam in vit. S. Ignatii C. P. apud Labbe Synod. Constantino-pol. VIII.

(8) Si fides habenda est testimonio Cyrilli Lucari viri haud certe probatae fidei, Thecla, non quidem Martyr, ut quidam dixere, sed nobilis foemina aegyptia codicem percelebrem Londoniense-Alexandrinum descripsit. En testimonium « Liber iste Scripturae sacrae Novi et Veteris Testamenti prout ex traditione habemus, est scriptus manu Theclae nobilis foeminae Aegyptiae

fungerentur officio (1), haud immerito quis assereret ex hoc abundantissimo fonte quamplurimos ac magni pretii per universum christianum orbem SS. Bibliorum codices promanasse; propterea vero fere omnes, qui in describendis sacris codicibus darent operam, Alexandrinis usos fuisse exemplaribus. Atque etiam contingere poterat ut aliquis scriptor, ex his praesertim, qui in ecclesiasticum vel monasticum ordinem essent cooptati, ex quorum numero ne dicam omnes, maxima certe scriptorum pars semper fuit, ita lectionibus sacris ex Alexandrinis libris vel apographis assuetus esset, ut illorum formae valde sibi fierent familiares, et facili manu easdem libris, quos scribebat, adiungeret. Quamobrem uno tantum, quod ex formis Alexandrinis eruitur, momento inniti haud fas est, nec satis certam notam, nec eruditibus omnibus probatam ad dignoscendam alicuius codicis patriam idipsum praebere posse videtur (2).

XXXI. Quae cum ita sint, si tantum huiusmodi scriptionis formis in nostro codice perspectis, Alexandriam eius

ante *mille et trecentos* annos circiter, paulo post Concilium Nicaenum. Nomen Theclae in fine libri erat exaratum. Sed extincto christianismo in Aegypto a Mahometanis et libri una Christianorum, in similem sunt reducti conditionem; extinctum ergo et Theclae nomen et laceratum. Sed memoria et traditio recens observat.

✠ Cyrillus Patriarcha Constantin. »

Confer quae de foeminis calligraphis et de Thecla hac, nec non de eodem nomine apud Aegyptios et Habessinios non modo foeminis, sed et viris tributo, Angelus Mai habet — Cicero De Republ. praefat. pag. XXVII. Ex superiori Lu-

cari testimonio quidam suspicionem oriri posse credidere, quod non a Thecla, sed in monasterio virginum Canoniarum apud Seleuciam S. Theclae martyris nuncupato, codicem descriptum fuisse (Grabe prolegg. apud Tischendorf Prolegg. Vet. Test. § XXVI). Huius autem *παρθενῶνος* praeclara extant apud S. Gregorium Nazianzenum testimonia.

(1) Certe hac in re minime fugere nos poterat aliquando in codice nostro praetermissas fuisse formas alexandrinās, ita ut nonnumquam *καταλειφθεις, τεσσαρων* etc. legatur. Quod fortasse ex varietate vel calligraphorum vel exemplarium contingere potuit.

(2) Cf. Huet de Origene.

patriam procla-
nem nossem
tatis nobis tu-
est, accedant
parantibus en-
riarum lection-
eo Parsons (1)
sticis graecor-
perimus loca
Sixtina haud
ex quibusdan-
convenire. Ed-
dymum, Atha-
lectionibus a
nostrum text-
ficient, tum
XXXII. S
scriptoribus
cum Origen-
eundem pe-
explorantibu-
tione institut-
qui apud Ho-
inter Sixtina-
teram ab tex-
comprobari.
semper inter
honore habitu-
(1) Huius editio
Holmes editum es-
quae sequuntur q-
1810-1827. Sum-
dum ut thesaurus

patriam proclamare contenderem, haud certissimam opinionem nossem me proferre. Idcirco si ius Alexandrinae civitatis nobis tuendum sit huic codici, alia quoque necessum est, accedant testimonia; quae quidem minime desunt. Comparantibus enim nobis textum huius codicis cum illa variarum lectionum segete amplissima, quam Holmes et cum eo Parsons (1) conquisitis omnibus, quae potuit, ecclesiasticis graecorum monumentis conguessit et cumulavit, comperimus loca permulta, in quibus codex noster cum editione Sixtina haud perfecte consonabat, cum lectionibus, quas ex quibusdam Alexandrinis Patribus Holmes decerpserat, convenire. Equidem saepissime Origenem, Clementem, Didymum, Athanasium, Cyrillum iisdem cum codice usos esse lectionibus animadverti. Quinimo aliquando fit, ut cum ad nostrum textum tuendum caeteri codices apud Holmes deficiant, tum Patrum Alexandrinorum accedat auctoritas.

XXXII. Sed sunt etiam maiora. Si cum aliis Alexandrinis scriptoribus sacris communia in codice nostro sunt multa, cum Origene tanta intercedit coniunctio, ut iure optimo ad eundem pertinere totum dixeris; quod omnia singulatim explorantibus manifeste elucet. Et re sane vera comparisonem instituta inter huius codicis textum ac caeterorum, qui apud Holmes relati sunt, varietates ferme omnes, quas inter Sixtinam ac nostram lectionem intercedere animadvertam ab textu codicis ibi adnotati numero XII. vidimus comprobari. Codex autem iste a summis doctisque viris semper inter praestantissimos celebratus, maximoque in honore habitus ab eiusdem primo, quem novimus, pos-

(1) Huius editionis volumen I. ab Holmes editum est Oxonii 1798, et quae sequuntur quatuor a Parsons 1810-1827. Summopere esset optandum ut thesaurus istiusmodi Hol-

mesianus novis auctus monumentis, et diligentiori elaboratum industria, scientiarum incrementis, ut par est, respondens, absolutissime denuo ederetur.

sessore Renato Marchalio Boismoraeo, Marchaliani (1) nomen sortitus est; de eoque paulo post nonnulla commemorare iuvabit. Modo hoc dumtaxat observatum volumus ipsum tot tantisque ac certissimis Origenianis characteribus insignem esse, ut inter praecipuos huiuscemodi familiae codices sit adnumerandus. Quamobrem si tanta cum isto codex noster affinitate gaudet, fieri non potest, ut aliquis hanc ut ita dicam, germanitatem valeat infringere, alterum ab altero simillimo et, quasi dicerem, gemino dissociare, atque ab eadem origine patriaque contendat extrudere.

XXXIII. Multi, iique docti viri de Marchaliano codice disseruere, inter quos appellamus Curterium (2), Bern. Montfaucon (3), Bianchini (4), Holmes (5), A. Mai (6), et tandem Tischendorf (7). Iam omnibus compertum erat codicem istum a primo suo possessore Renato Marchalio Boismoraeo in manus Cardinalis Rupifucaldi devenisse, ac ab eodem oblatum fuisse Collegio Parisiensi Ludovici Magni PP. Societatis Iesu; sed ipse Mai ex authentica venditionis syngrapha acceptum narrat eundem codicem Romae anno 1785 pretio scutatorum nummorum 300 emptum, in Vaticanam Bibliothecam fuisse invectum. Qua in Bibliotheca nobis absque indiciis una cum cl. Vercellone inquirentibus sorte datum est illum reperire adnotatum Num. 2125, quem et sedula versavimus manu (8). Quid vero de eiusdem calli-

(1) Aliquando codex iste Claromontensis vel Claromontanus nuncupatur (Tischendorf. prolegg. V. T. pag. LVI.); quia olim Parisiis in bibliotheca collegii Claromontensis Ludovici M. asservabatur.

(2) Praef. ad Procopium Gazaeum.

(3) Palaeograph. graec. et Collect.
scriptt.

(4) Vindiciae Scriptur. Canon. et
Evang. Quadrupl.

(5) Holmes et Parsons. Tom. III.

(6) Nov. Patrum Bibl. tom. IV.

(7) Prolegg. ad Vet. Test. iuxta LXX.
Interpretes.

(8) En descriptio codicis Marchaliani
ex ipsis tabulis Bibliothecae Vaticanae
deprompta :

graphia et antiquitate (1) sit iudicandum, videant periti in specimine apud Mai, cuius verba nos rursus inspecto codice heic ad eius fidem subiicimus (2). Quae vero ex Marchaliano codice speciminis gratia heic repraesentantur, testimonia exhibent gravissima, quae rem nostram quamproxime attingunt; etenim ante Isaiam et Ezechielem ea describuntur mnemosyna, quae valde dolemus apud gravissimos

Inventar. graecor. codd. vaticanor.
 pars III. numero 2125. Codex praestantissimus, qui fuit Cardinalis Rufucaldi et Collegii Claromontensis Parisiis. Εκ των Ευσεβίου περι της του βιβλίου των προφητων ονομασιας και απο μερους τι περιχει εκαστος. ΩΣΗΕ Α'. Γεγονασι μεν και προ τουτου . . . pag. 4 unciali. Numerus est in calce pagg. *De Elia Eliseo et Zacharia alia manu.* — Ονοματα προφητων και ποθεν εισι και που απεθανον και πως και που κεινται. 5. Ησαϊας απο ιερουσαλημ. — *De Osea rursus male interpretato in chartula praefixa.* 5^β Ο οσιος Ωσηε αυτος ην . . . 8. ΩΣΗΕ Α'. Λογος κυριου ος εγεννηθη . . . 12. *cum schol. marg.* ΑΜΩΣ Β'. Λογοι Αμωσ οι εγενοντο . . . 23 *tergo vers.* ΜΙΧΑΙΑΣ Γ' Και εγενετο λογος κυριου . . . 33 *t.º* ΙΩΗΛ Δ'. Λογος κυριου ος εγεννηθη . . . 41. ΑΒΔΙΟΥ Ε'. Ορασις Αβδιου. ταδε λεγει . . . 46. ΙΩΝΑΣ ς'. Και εγενετο λογος κυ . . . 47 *t.º* ΝΑΟΥΜ Ζ'. Λεμμα (sic) Νινευη . . . 51. ΑΜΒΑΚΟΥΜ Η'. Το λεμμα ο ειδεν . . . 54. ΣΟΦΟΝΙΑΣ Θ'. Λογος κυ ος εγεννηθη . . . 58. ΑΓΓΑΙΟΣ Γ'. Εν τω δευτερω ετει . . . 61 *t.º* ΖΑΧΑΡΙΑΣ ΙΑ'. Εν τω ογδω μηνι . . . 64 *t.º* ΜΑΛΑΧΙΑΣ ΙΒ' Αημμα λογου κυ . . . 79 *t.º* Ορασις οηθει μεν αν τις (*De Isaiia notitia . . . 84*) Adnotatio qua docemur hoc

exemplar transcriptum fuisse ab αυτογραφο Abbatis Apollinarii Coenobiarchae, quod a duobus aliis proveniebat immediate Origenianis et Eusebianis. ΗΣΑΙΑΣ. Ορασις ην ιδεν . . . 85. Pag. 89 *t.º* in margine notantur tres versus qui non inventi sunt in πεντασελιδι, quorum nec Origenes meminit. ΙΕΡΕΜΙΑΣ. Το ρημα του θεου . . . 168. ΒΑΡΟΥΧ. Και ουτοι οι λογοι . . . 258. ΘΡΗΝΟΙ ΙΕΡΕΜΙΟΥ. Και εγενετο . . . 266. Η μεν αρχη (*In Ezechielem*) Notatio, hunc provenire a libro Abbatis Apollinarii Coenobiarchae, qui liber ab Eusebio et Pamphilo ad ipsa Origenis autographa hexapla correctus fuerat, (in margine ab eadem manu adiungitur) Scholiorum ergo auctor Eusebius . . . 280 *t.º* Ετει της αιχμαλωσιας μηνι περπτω. ΙΕΖΕΧΙΗΛ. Και εγενετο . . . 281. ΔΑΝΙΗΛ ΚΑΤΑ ΘΕΟΔΟΤΙΩΝΟΣ. Και ην ανηρ . . . 377. Nota deesse duo folia pag. 397 *t.º* »

(1) Montfaucon in Palaeographia modo ad saeculum VII, modo ad VIII retulit. De hoc codice Tischendorf in Prolegomenis ad V. T. iuxta LXX, § 23, dicit — Codex prophetarum omnium Claromont. (XII. Holm.) nunc Vatic. saeculi fere VII; de quo nuper exposuit Maius. —

(2) Nova Patrum Bibliotheca tom. IV

scriptores minus accurate fuisse latine expressa; quare etiam interpretationem adiungimus: (*Cod. Marchal. fol. 84.*)

ΜΕΤΕΛΗΦΘΗ Ο ΗΣΑΙΑΣ ΑΠΟ ΑΝΤΙΓΡΑΦΟΥ·

ΤΟΥ ΑΒΒΑ ΑΠΟΛΙΝΑΡΙΟΥ ΤΟΥ ΚΟΙΝΟΒΙΑΡΧΟΥ
ΕΝ Ω ΚΑΘΥΠΕΤΑΚΤΟ ΤΑΥΤΑ

ΜΕΤΕΛΗΦΘΗ Ο ΗΣΑΙΑΣ ΕΚ ΤΩΝ ΚΑΤΑ ΤΑΣ ΕΚΔΟ

ΣΕΙΣ ΕΞΑΠΛΩΝ ΑΝΤΕΒΛΗΘΗ ΔΕ ΚΑΙ ΠΡΟΣ

ΕΤΕΡΟΝ ΕΞΑΠΛΟΥΝ ΕΧΟΝ ΤΗΝ ΠΑΡΑΣΗΜΕΙ

ΩΣΙΝ ΤΑΥΤΗΝ ΔΙΟΡΘΩΝΤΑΙ ΑΚΡΙΒΩΣ ΠΑ

ΣΑΙ ΑΙ ΕΚΔΟΣΕΙΣ ΑΝΤΕΒΛΗΘΗΣΑΝ ΓΑΡ ΠΡΟΣ ΤΕ

ΤΡΑΠΛΟΥΝ ΗΣΑΙΑΝ· ΕΤΙ ΔΕ ΚΑΙ ΠΡΟΣ ΕΞΑΠΛΟΥ

ΠΡΟΣ ΤΟΥΤΟΙΣ ΚΑΙ ΤΑ ΑΠΟ ΤΗΣ ΑΡΧΗΣ ΕΩΣ ΤΟΥ

ΟΡΑΜΑΤΟΣ ΤΥΡΟΥ ΑΚΡΙΒΕΣΤΕΡΟΝ ΔΙΩΡΘΩΤΑΙ

ΕΥΠΟΡΗΣΑΝΤΕΣ ΓΑΡ ΤΩΝ ΜΕΧΡΙ ΤΕΛΟΥΣ ΤΟΥ

ΟΡΑΜΑΤΟΣ ΤΥΡΟΥ ΤΟΜΩΝ ΕΞΗΓΗΤΙΚΩΝ

ΕΙΣ ΤΟΝ ΗΣΑΙΑΝ ΩΡΙΓΕΝΟΥΣ ΚΑΙ ΑΚΡΙΒΩΣ

ΕΠΙΣΤΗΣΑΝΤΕΣ ΤΗ ΕΝΝΟΙΑ, ΚΑΘ' ΗΝ ΕΞΗΓΗ

ΣΑΤΟ ΕΚΑΣΤΗΝ ΛΕΞΙΝ ΚΑΘΩΣ ΟΙΟΝΤ'

ΚΑΙ ΠΑΝ ΑΜΦΙΒΟΛΟΝ ΚΑΤΑ ΤΗΝ ΕΚΕΙΝΟΥ

ΕΝΝΟΙΑΝ ΔΙΩΡΘΩΣΑΜΕΘΑ· ΠΡΟΣ ΤΟΥΤΟΙΣ ΣΥ

ΝΕΚΡΙΘΗ Η ΤΩΝ ΕΒΔΟΜΗΚΟΝΤΑ ΕΚΔΟΣΙΣ

ΚΑΙ ΠΡΟΣ ΤΑ ΥΠΟ ΕΥΣΕΒΕΙΟΥ ΕΙΣ ΤΟΝ ΗΣΑΙΑΝ

ΕΙΡΗΜΕΝΑ· ΕΝ ΟΙΣ ΔΙΕΦΩΝΟΥΝ ΤΗΣ ΕΞΗ

ΓΗΣΕΩΣ ΤΗΝ ΕΝΝΟΙΑΝ ΖΗΤΗΣΑΝΤΕΣ ΚΑΙ

ΠΡΟΣ ΑΥΤΗΝ ΔΙΩΡΘΩΣΑΜΕΝΟΙ.

» *Exscriptus est Isaias ab exemplari Abbatis Apo-*
» *linarii coenobiarchae, in quo haec adiungebantur: Ex-*

» scriptus est
» fecta sunt.
» adiecta est
» nes omnes:
» vero et cum
» usque ad vis
» Nam copian
» in Isaiam,
» tum fas era
» gulas lectio
» secundum il
» rum editio
» comparata
» terpretation
Et pariter a
Marchal. fol.

ΜΕΤΕΛΗΦ

ΑΒΒΑ Α

ΚΑΘΥΠΗ

ΠΟ ΤΩΝ

ΔΙΟΡΘΩ

ΤΡΑΠΛΩΝ

ΤΟ ΚΑΙ

ΤΑ ΣΧΟΛ

ΒΕΙΟΣ ΔΙ

» Exscriptu
» nobiarchae,
» est ab hexap
» atque emend
» ipse manu s

» scriptus est Isaias ab hexaplis, quae iuxta editiones con-
 » fecta sunt. Collatus autem est et cum alio hexaplo, cui haec
 » adiecta est adnotatio: Emendatae sunt diligenter editio-
 » nes omnes; sunt enim collatae cum Isaia tetraplari; immo
 » vero et cum hexapleri. Praeterea, quae ab initio sunt
 » usque ad visionem Tyri, accuratius etiam emendata fuere.
 » Nam copiam habuimus Tomorum Exegeticorum Origenis
 » in Isaiam, qui visionis Tyri finem attingunt; et quan-
 » tum fas erat, sedulo animadvertimus quo sensu ille sin-
 » gulas lectiones explicavit; et quicquid ambiguum esset,
 » secundum illius mentem emendavimus. Ad haec LXX viro-
 » rum editio etiam cum iis quae Eusebius dixit in Isaiam,
 » comparata est; in quibus discrepabant, exquirentes in-
 » terpretationis sensum, iuxta eundem emendavimus. »
 Et pariter ante Ezechielem haec sunt inscripta: (Cod.
 Marchal. fol. 280.)

ΜΕΤΕΛΗΦΘΗ ΔΕ ΑΠΟ ΑΝΤΙΓΡΑΦΟΥ ΤΟΥ

ΑΒΒΑ ΑΠΟΔΙΝΑΡΙΟΥ ΤΟΥ ΚΟΙΝΟΒΙΑΡΧΟΥ ΕΝ Ω
 ΚΑΘΥΠΕΤΑΚΤΟ ΤΑΥΤΑ ΜΕΤΕΛΗΦΘΗ Α
 ΠΟ ΤΩΝ ΚΑΤΑ ΤΑΣ ΕΚΔΟΣΕΙΣ ΕΞΑΠΛΩΝ ΚΑΙ
 ΔΙΟΡΘΩΘΗ ΑΠΟ ΤΩΝ ΩΡΙΓΕΝΟΥΣ ΑΥΤΟΥ ΤΕ
 ΤΡΑΠΛΩΝ Α ΤΙΝΑ ΚΑΙ ΑΥΤΟΥ ΧΕΙΡΙ ΔΙΟΡΘΩ
 ΤΟ ΚΑΙ ΕΣΧΟΛΙΟΓΡΑΦΗΤΟ· ΟΘΕΝ ΕΥΣΕΒΕΙΟΣ ΕΓΩ
 ΤΑ ΣΧΟΛΙΑ ΠΑΡΕΘΗΚΑ· ΠΑΜΦΙΛΟΣ ΚΑΙ ΕΥΣΕ
 ΒΕΙΟΣ ΔΙΟΡΘΩΣΑΝΤΟ

» Exscriptus est ab apographo Abbatis Apolinarii coe-
 » nobiarchae, in quo subiiciebantur haec: Descriptum
 » est ab hexaplis, quae iuxta editiones sunt constructa,
 » atque emendatum est ex Origenis ipsius tetraplis, quae
 » ipse manu sua correxit scholiisque adornavit; unde ego

» *Eusebius scholia adiunxi. Pamphilus et Eusebius emen-*
» *daverunt.* » Postquam haec retulisset mnemosyna, sese
cohibere non valuit Mai, quin exclamaret « Vides codi-
» cem aedepol praestantissimum; » cui iudicio fieri non po-
test, quin nos ultro libenterque assentiamur.

XXXIV. Quanti haec ad rem nostram faciant non modo
inter utrumque codicem consensio, sed et quae mox dice-
mus suadent. Etenim manifesta res est quod si alter ex
his codicibus ex origeniana prodiit editione, et alter etiam
ex eadem prodiisse dicendus sit; siquidem ambo inter sese
quammaxime consentiunt, in iis praesertim locis, in quibus
abs caeteris discedunt; ita ut ambos ad eandem pertinere
editionem nemo non videat. At vero omni procul dubio
ex origenianis fontibus codex Marchalianus venit; quando-
quidem ea, quae nuper exposuimus, testimonia adeo ge-
nuina liquido rem declarant; nil igitur ex his erui potest
praeterquamquod eiusdem origenianae familiae codex no-
ster sit proclamandus. Fortasse quispiam, cum viderit codi-
cem istum iisdem ac Marchalianum curis fuisse adornatum,
etiam exemplar, unde codex noster exscriptus est, Eusebii
manum expertum fuisse arbitraretur; proindeque in Palae-
stina potius, quam in Aegypto exaratum fuisse iudicaret;
cui sententiae minime nos adversari volumus; contenti
enim sumus si non patriam, tamen eiusdem originem aperte
adinvenisse.

XXXV. Etsi origenianae familiae iura his luculentissimis
testimoniis codici nostro adserantur, alia quoque, quae ipsum
praesefert palimpsestum, ut res magis magisque elucescat,
adiungenda arbitror. Quibusdam in paginis codicis nonnul-
lae adnotationes in margine graeci textus adiectae visuntur.
Hae uncialibus scriptae litteris aliquantulo minoribus textu
atque erectioribus, sed tamen ab eadem, ac textus, manu
exaratae sunt; nam ubi aliquando calligraphus in ipso textu

erectis uti-
ram nihilur
haud omnes
dam, quae
bis (pagg. d
mus, quod
deductum es
ctionem illa
ram ibidem
quae ex orig
mentis apud
quibus aligu
quidem non
arguit affini
cedere orig
XXXVI.
quae notiti
rent. Iam
in Isaiam
tur. Horum
cit, atque
perante Go
Eundem to
sed iam ea
Nunc vero
primo et vic
tyris deprom
tia, quam in
Isaiae Cap. VI
litteras ut me
προφηντα εγγυ
(1) Origenis. op
Nigne.

erectis utitur formis, tum inter utriusque characteris figuram nihilum quidem est discriminis. Adnotationes autem haud omnes ad unum idemque pertinent genus: sunt quaedam, quae tantummodo editionum varietates indicant; ut bis (pagg. cod. 8. 9) Symmachi editionem notari conspeximus, quod quidem ex ipsis Hexaplis vel Tetraplis Origenis deductum esse videtur. Neque heic praetereundum est lectionem illam *εθορυβηθη* pro *σαλευθη* (Is. cap. VII, 2.) et alteram ibidem variam lectionem *εκλονηθη* minime reperiri in iis, quae ex origenianis Hexaplis habemus (1), neque in supplementis apud Holmes, neque in codicibus syro-hexaplaribus, quibus aliquid ex hoc codice adiungi posse laetamur. Quod quidem non modo maiorem huius codicis cum Marchaliano arguit affinitatem, sed etiam et propius ad communem accedere originem demonstrat.

XXXVI. Sunt praeterea duae inter caeteras adnotationes, quae notitiam eruditis viris, ut autumo, pergratam afferent. Iam a pluribus saeculis Tomos Exegeticos Origenis in Isaiam amissos iure merito studiosi homines lamentantur. Horum mentionem et ipse Origenes nonnumquam facit, atque Eusebius Caesariensis narrat confectos esse imperante Gordiano; aetate vero sua triginta numero fuisse. Eundem tomorum numerum confirmat Hieronymus (2), sed iam ea tempestate tomum XXVI. periisse nos docet. Nunc vero duo tantum supersunt fragmenta (3) ex tomo primo et vicesimo octavo, quae ex Apologia Pamphili martyris deprompta sunt. Ad hosce itaque tomos spectat notitia, quam in codice nostro legimus; etenim ad verba illa Isaiae Cap. VI, v. 5. *κν σαβαωθ ειδον τοις οφθαλμοις μου* legitur: *Ιστεον ως μεχρι τουτων προηλθεν ωριγενει ο εβδομος των εις τον προφητην εξηγητικων τομος*. Quod quidem convenit cum notula

(1) Origenis. opp. tom. VI. edit. Migne.

(2) Praefat. Comment. in Isaiam.

(3) Origen. tom. III. edit. Migne.

codicis Marchaliani, in qua ad verba, quae immediate sequuntur, in margine apponitur: *Τόμος Η'.* videlicet: *Tomī octavi initium.* At initium sequentis tomi noni in eiusdem prophetiae editione, quam ex praedicto codice Curterius suo Procopio in Isaiam adiunxit, adnotatum non reperitur; in codice vero nostro ad verba Cap. VII. v. 9. *ουδε μη συνητε* legitur: *Ιστεον ως μεχρι τουτων ωριγενει προηλθεν ο ογδοος των εις τον προφητην εξηγητικων τομος.* Cuius alterius notae veritatem si confirmare velimus, auctoritate Hieronymi uti possumus. Is enim in commentario suo ad Cap. VI. Isaiae Origenem ex octavo tomo inducit loquentem, et evincentem, Iudaeos ante Christum Dominum Sacras Litteras minime adulterasse.

XXXVII. Cum vero in his, quae origenianos tomos in Isaiam respiciunt, sermo noster versetur, certe viris rei patrologicae studiosis haud ingratum erit nos istiusmodi tomorum indicationes referre non ab editione Curterii, quem nonnullae fugerunt, sed ab ipso Marchaliano codice collectas. Nulla prorsus Tomorum mentio ibi est ad sextum usque Tomum, qui ad verba *Τόμος ζ'.* *Και επιλημψονται επτα γυναικες.* Cap. IV, 1. initium habet. Tomus septimus v. 20, Cap. V. respondet: *Τόμος ζ'.* *Ουαι οι λεγοντες το πονηρον καλον.* Iam ab nostro Cryptoferratensi palimpsesto accepimus, ubi et septimus concluditur et octavus inchoatur Tomus; quod etiam a Marchalianis notis videmus confirmari. Attamen cum nulla appareat in Marchaliano codice numeralis nota Tomi noni, eiusdem initium, ut nuper monueramus, patet fuisse ad verba Cap. VII, 10. *Και προσεδετο κς.* Deinde vidimus signari *Τόμος ι'.* Cap. VIII, 1 - *Τόμος ια'.* Cap. IX, 8 - *Τόμος ιβ'.* Cap. X, 12 - *Τόμος ιγ'.* Cap. X, 24 - *Τόμος ιδ'.* Cap. XI, 11 - *Τόμος ιε'.* Cap. XIII, 1 - *Τόμος ις'.* Cap. XIII, 17 - Quae pone sequuntur, indicationes deficiunt usque ad *Τόμος κα'.* Cap. XIX, 1. et postea usque ad tricesimum tomum hoc pacto adnotantur. *Τόμος κβ'.* Cap. XIX, 18 - *Τόμος κγ'.*

Cap. XXI, 1 - Τομος ΚΔ'. Cap. XXII, 1 - Τομος ΚΕ'. Cap. XXIII, 1 - Τομος Κς'. Cap. XXIV, 1 - Τομος ΚΖ'. Cap. XXVI, 1 - Τομος ΚΗ'. XXVI, 16 - Τομος ΚΘ'. Cap. XXVII, 11 - Τομος Λ'. Cap. XXIX, 1. ad finem usque visionis Tyri, quae cum eodem capite explicit. Haec igitur omnia de origenianis Tomis tum in margine, tum in mnemosynis Marchaliani codicis adnotata sunt, ut pateret quanti esset habendus codex tanta elaboratus industria; attamen cum iidem Tomi ad codicem nostrum adornandum sint adhibiti, eiusdem certe pretii ac Marchalianus ex hoc capite haberi debet; cum vero Cryptoferratense palimpsestum Marchaliano vetustius iudicetur, maiorem etiam meretur venerationem.

XXXVIII. Reliquum est circa marginales adnotationes animadvertere, quasdam non modo indicationes, sed scholia dicenda esse vel hermeneutica, vel exegetica. Haec autem sedulo investigantes comperimus in multis persimilia esse, ne eadem dicam, iis quae vel apud Eusebium vel apud Procopium Gazaeum in Commentariis ad Isaiam legimus, quodque suis locis adnotare curabimus. Et sane vix ulla inter utrumque sermonem varietas apparet, quae cum aliquando appareat, ab scholiastae manu inducta videtur; is enim veluti necessitate cogebatur in excerptendis sententiis atque suis locis aptandis aliquid immutare. Qua in re opinionem nostram in medium proferre liceat; videlicet adnotationes huiusmodi neque Eusebii neque Procopii verba videri, sed potius excerpta quaedam ex Origene, ac fortasse ex eiusdem Exegeticorum tomis (1), quos ibi adnotari vidimus. Siquidem aperta res est tum Eusebium tum Procopium (2) plura ab Origene mutuatos suis commentariis attexuisse. Quod comprobari posse arbitror ipsius Eusebii

(1) Confer easdem adnotationes, et praecipue eam, quae est ad Cap. VII. v. 18. Isaiae et seqq.

(2) Cf. Curterium, Montfaucon, Mai loc. cit. et Vercellone, *Un codice greco palimpsesto ecc.* pag. 15.

verbis, quae in altero ante Ezechielem mnemosymo codicis Marchaliani legimus; ibi enim postquam de scholiis, quae Origenes sua manu Ezechieli adiunxerat, verba fecisset, ait: ὅθεν εὐσέβιος ἐγὼ τὰ σχόλια παρέδθηκα. *Unde ego Eusebius scholia apposui.* Ad haec autem confirmanda utinam eiusdem Origenis Tomi tandem aliquando, si tamen supersunt, apparerent.

XXXIX. Utque etiam atque etiam codicis nostri ab origenianis libris derivatio elucescat, haud ingratum erudito lectori opus suscipiam in comparandis lectionibus quibusdam, quas a communi textu codex noster varias exhibet, cum iisdem prophetarum verbis, quae in aliis Origenis operibus reperiuntur. Qua in re adeo iam manifesta, cum mihi vel maxime brevitati studere proposuerim, aliqua tantum hinc inde excerpta apponere iudicavi. Apud Ierem. Thren. Cap. II, v. 8. iuxta receptum textum legimus Καὶ ἐπέστρεψε διαφθεῖραι τείχος... sed in selectis Origenis in eundem prophetam (1) legimus ut in nostro codice (2) Ἐλογίσατο κύριος τοῦ διαφθεῖραι τείχος... Apud Ezechielem Cap. VI, v. 10. codex noster habet. Ἐγὼ κς οὐκ εἰς δωρεὰν λελάληκα τοῦ ποιῆσαι αὐτοῖς ἀπαντὰ τὰ κακὰ ταῦτα. Ταδε..... Quae quanto a Sixtina editione variant, tanto Origeni (3) conveniunt. Ait enim: « Οὐκ εἰς δωρεὰν λελάληκα » οἶομαι τὸ μὴ μάτην συμβαίνειν τὰ ἐπιμεριζόμενα τοῖς ἀναξίοις συστικὰ νῦν λεγόμενα κακὰ κ. τ. ε. In codice nostro Cap. I. Isaiae v. 6. verba illa, quae a recentiori manu in margine adiuncta sunt: οὐκ ἔστιν ἐν αὐτῷ ὁλοκληρία, vel casu quodam, vel calligraphi oscitantia a textu excidisse arbitretur nemo (4); nam et in Philocalia (cap. XXV.)

(1) Cf. edit. Migne opp. Origenis tom. III. col. 636.

(2) Conveniunt Marchalianus alii que plures codices.

(3) Cf. Select. in Ezechielem, in tomo cit. Hoc idem in aliis habetur

codicibus; est enim interpretatio Theodotionis, a quo plurima Origenem hausisse nemo ignorat.

(4) Hoc idem in codice Marchaliano aliisque fortasse ab Origenianis textibus derivatis contigisse exploratum est.

Origenes eum
ducit. Ad Is
δὲ αὐτοῦ
et in Comm
phetae Cap.
γν, ut Orige
plura conse
ipso initio;
Origenem in
Fere omnes,
operum ipsi
aliis vetustis
ac praesertim
Ex his itaqu
caneum duc
gumenta ho
suis editione
XL. Cum
ptoferratens
tereundus p
Tischendorf
lim delatus, ib
est appellatus
quanti in re
sibi vindicet a
qui graecum
tate, et comm
(1) «Bibliorum co
tropolitanus, auspiciis
peratoris Alexandri I
trazit, in Europam tra
das ac illustrandas sac
Constantinus Tischend
1862.» Plura pluries

Origenes eundem Isaiae locum iisdem carentem verbis adducit. Ad Isaiae Cap. XLV, 1. legimus in codice *εκρατησα της δεξιας αυτου* ut ipse Origenes habet in Philocalia (cap. XXVI.) et in Commentario in Genesim (tom. III). Eiusdem Prophetæ Cap. XIV, 12. ab aliis diversus codex habet *επι την γην*, ut Origenes in Commentario in Psalmos. Denique ne plura consector, apud Malachiam Cap. IV, 5. deest *Και* in ipso initio; legitur enim *Ιδου εγω...* quod etiam deesse apud Originem in Commentario ad Iohannem (tom. VII) vidimus. Fere omnes, quos selegimus, loci non modo ab testimonio operum ipsius Origenis comprobantur; verum etiam ab aliis vetustis codicibus, qui ab origenianis curis derivarunt; ac praesertim a codice Marchaliano, de quo plura diximus. Ex his itaque, et ex aliis pluribus, quae referre supervacaneum ducimus, cuique facile patet praeter tot alia argumenta hoc nos habere, quod vel Origenes ipse verbis suis editionem hanc codicis fateri suam videatur.

XL. Cum probatissimis testimoniis textum codicis Cryptoferratensis nobis comparantibus haud certe erat praetereundus percelebris codex, qui paucis abhinc annis a Tischendorf in Monasterio montis Sinai detectus, Petropoli delatus, ibidem imperiali magnificentia editus Sinaiticus est appellatus (1). Neminem eruditorum hominum latet quanti in re critica codex iste habendus sit, et quantam sibi vindicet auctoritatem; unus enim est in orbe universo, qui graecum Vaticanum exemplar Bibliorum exaequet aetate, et communem, quasi geminus, originem contendat;

(1) « *Bibliorum codex Sinaiticus Petropolitanus, auspiciis augustissimi Imperatoris Alexandri II, ex tenebris protraxit, in Europam transtulit, ad iuvandas ac illustrandas sacras litteras edidit Constantinus Tischendorf. — Petropoli 1862.* » Plura pluries Tischendorf de

eodem disseruit; ac post eum inter nostrates cl. v. Vercellone (*Dissertationi accad.*), Giovannini (*op. cit.* vol. III. pag. 672), et De-Rossi praeter eiusdem notitiam, mnemosynon quoddam codicis scite eruditeque declaravit (*Bullettino di Archeolog. crist. an. I. pag. 62, 63*).

caeteros autem omnes, qui supersunt, codices tum pretio tum tempore una cum praedicto Vaticano antecellat. Caeterum in hac collatione mirum quoddam nobis contigisse visum est (1). Siquidem plures varias ab editione Sixtina lectiones excerpsimus ex codice nostro, easdem studuimus comparare cum innumeris testimoniis, quae in Holmesiano thesauro ex monumentis aetatum omnium atque locorum cumulata sunt. At vero aliquot in locis nullum ibi nacti sumus testem, qui codicis lectionem comprobaret; ideoque vel unicus in illis lectionibus vel mendosus videbatur iudicandus. Cum vero hae lectiones in textu Sinaitico exquisitae sint, haud sine admiratione percepimus ambo unice inter sese his in locis concordare. En aliqua huius singularis convenientiae exempla, quae in quibusdam Isaiae locis duntaxat exquisivimus, et quibus certe plura possent adiungi. Cap. VII, v. 8. ambo iique unice tacent *και η κεφαλη Δαμασκου Ρασιμ* - Cap. IX, 7. iidem tantum habent *και εως του αιωνος* - Cap. XVIII, 3. *αρθησεται* pro *αρθη* - Cap. XX, 3. addunt *και νοησουσιν* - Cap. XXX, 33. codex noster legit *πυρ και θειον και ξυλα*, cui unicus Sinaiticus accedit *πυρ' απεθειον και ξυλα* - Cap. XXXI, 7. pro *αι χειρες* ambo legunt *οι δακτυλοι* - Cap. XXXVI, 11. ex vers. 3 eiusdem cap. in ambobus iteratur *ελιακειμ ο του χελκιου ο οικονομος και σομνας ο γραμματευσ* - Cap. XXXVI, 20. Sinaiticus prima manu, et noster habent *ο τις ερυσεται* pro *οτι ρυσεται* - Cap. XXXVII, 3 pro *ηλθον* una cum nostro et cod. 506 (2) apud Holmes habent *ηλθοσαν* - Cum vero lamentabilem iacturam in prophetis Sinaiticus codex passus sit, nonnihil certe erit rei criticae emolumenti ex consimili textu aliqua fragmenta reperiri.

XLII. Igitur ex omnibus, quae de graeco nostri codicis

(1) Vercellone - Un codice greco palimpsesto ecc. pag. 21.

(2) Codicem istum in variis lectio-

nibus, quas excerpsimus, et cum eodem conferimus quamproxime cum nostro consentire nacti sumus.

textu hactenu
cludendum v
sive in Palae
tione Septua
eum venire
nostrum et
dices interce
nime secern
si nos ab illi
praesertim co
ratione emen
sint verba, in
nunciandi rat
appareant. C
abstinemus,
id valeant r

(1) Vercellone
demiche pag. 1
vetustissimo co

textu hactenus disputata sunt, nobis iure meritoque concludendum videtur, quod sive Alexandriae vel in Aegypto, sive in Palaestina, vel alibi codex descriptus fuerit, ab editione Septuaginta virorum, quae Origenis curas est experta, eum venire dubium potest esse nemini. Ea vero quae inter nostrum et eos, qui praestantissimi habentur, biblicos codices intercedit convenientia, ab eorumdem auctoritate minime secernendum esse codicem istum comprobatur. Quinimo si nos ab illis hunc aliquantulum discedere vidimus, in eo praesertim comperimus discedere, quod iisdem in scribendi ratione emendatior sit et castigatior; ita ut vel rarissima sint verba, in quibus vel iotacismi, vel aliae a simili pronuntiandi ratione in alios codices derivatae mendae (1) heic appareant. Cuius rei parallelos locos in medium proferre abstinemus, cum ab hac ipsa editione eruditi viri facile id valeant recognoscere.

(1) Vercellone - Dissertazioni Accademiche pag. 124, ubi sermo est de vetustissimo codice Vaticano; et Tischendorf, Codex Friderico - augustanus §. 10, Codicis Ephraemi edit., Proleg. ad N. T. pag. 18. etc.

PARS III.

DE DUPLICI VERSIONE LATINA ISAIÆ EX EODEM ERUTA PALIMPSESTO.

XLII. Etsi ea, quae de palimpsesto diximus, eiusdem praestantiam oppido declarent, ita ut in his graecis eruen-
dis reliquiis haud certe nos opus oleumque perdidisse ar-
bitrati simus; tamen duplex versio latina, quae in margine
codicis latitabat, ita investigationem allexit nostram, ut non
minori studio ac contentione ad eam perlegendam atque
in adversariis referendam animus intenderet. Versio haec,
quae circa Isaiam dumtaxat conspicitur, superiorem et ex-
teriorem marginis obtinet partem, continuis plerumque,
quantum spatium marginis capere potuit, describitur lineis;
nonnumquam tamen et a linea inchoatur, praesertim ubi
loci est angustia. Modo maiori perspicuitate characteres
gaudent, modo etiam abrasi deletique prorsus sunt atque
abscissi; ita ut lacunae quaedam inde in editione nostra
necessario fierent. Ab iis vero, quas in superiori parte nuper
descripsimus (1), graecis adnotationibus abrupta ac coarctata
apparet latina interpretatio; unde dubium sit nemini adno-
tationes illas longe antea fuisse in eodem codice exaratas.

XLIII. Si vero scriptionis figura spectetur, quae in ipso
photographico specimine videri potest, eam cum iis monu-
mentis, quae circa saeculum decimum descripta sunt, con-
venire nobis nemo non assentietur. Praesertim vero ea
accedere visa est ad litteram percelebris codicis sacrorum
Bibliorum, qui in Monasterio Monachorum S. P. Bene-
dicti ad Basilicam Ostiensem asservatur. Quocum vel ma-

(1) Conf. Prolegg. part. II. §. XXXV. pag. xxxvi. et seqq.

xime congruit non modo in formis characterum, verum etiam in iis, quae descriptionis siglae, et litterarum nexus appellantur, nec non in iis, quae sunt verborum compendia. Quinimo eadem est in utroque codice numerales notas describendi ratio. Cum vero de praedicto Ostiensi codice disserens Mabillon (1) recte animadvertisset illius aetatem ad regnum Karoli Calvi (an. Chr. 850-877) esse reponendam, certe haud longe a veritate aberraret, qui circa IX vel X saeculum versionem latinam huic nostro codici aliquem appinxisse iudicaret. Consideranti insuper mihi specimina, quae habemus praeclarissimi codicis sacrorum Bibliorum, qui in bibliotheca Vallicelliana adservatur (2), ab eiusdem scriptura parum abesse latina illa codicis nostri visa est. Codicem autem istum Vallicellianum ad saeculum octavum vel nonum referunt eruditi. Unde etiam de scripturae codicis nostri aetate confirmatur iudicium.

XLIV. Si quid praeterea hac super re lubeat considerare, in ipsa priori pagina Isaiae verba graeca οὐκ ἔστιν ἐν αὐτῷ ὁλοκληρία in margine vides apposita (3). Haec autem ita collocata sunt, ut latinis characteribus abruptis medium teneant locum; atque inde facile quisque recognoscere possit haec verba omnino antequam latinae interpretationes adiungerentur, sed tamen eodem ac illae tempore, atque ab eadem manu fuisse exarata. Scriptor enim totus in eo fuisse videtur, ut graeci textus cum versione Hieronymi consonantiam animadverteret; cumque eo venisset, atque in graeco textu verba illa non reperisset, eadem inter scribendum in margine adiunxisse arbitror. Horum autem cha-

(1) Musaeum Italicum tom. I.

(2) Blanchinius, Evangel. Quadrupl. tom. I. pag. dc. Ab cl. viro Carolo Vercellone accepimus Vallicellianum cum codice S. Pauli, quos ambo ipse pluries

consideraverat, ita convenire, ut alterum ab altero exscriptum fuisse facile appareat.

(3) Confer Prolegom. nostr. par. II. §. XXXIX. pag. xl.

racterum graecorum forma haud certe aliena est ab exemplis, quae characterum saeculi decimi habemus. Nonnullae etiam similes graecae litterae ab eadem manu descriptae in codice usurpantur: uti notae numerales, quibus in singulis pagellis loca utriusque textus graeci et latini vicissim respondentia consignantur. Huius etiam sunt generis aliae numerales notae graecae, quae nonnumquam referunt numerum sectionum latinae versionis, de quibus inferius dicemus, quarum unam N' nempe quinquagesimam sectionem, videsis in ipso specimine photographico ad dexterum latus prioris columnae. Nec denique inter has minimas graecas notas silebimus verba quae in ipso textu latino sunt (1) καὶ τὸ ἀχει τὸ χλωρόν, de quibus etiam mox disseremus. Ex quibus omnibus litterarum figuris ad aetatem scriptionis circa nonum vel potius decimum saeculum definiendam monumentum alterum exsurgit.

XLV. Pro certo tamen habendum est saeculo decimo-primo haud esse recentior; etenim, ut in priori parte (2) monuimus, nonnullae eiusdem codicis paginae ad secundam excipiendam scripturam, videlicet Paracleticon S. Iohannis Damasceni, circa illud temporis fuerunt accommodatae. Verum enim vero si cui severioris iudicii homini arrideat asserere, quod dum membranae, deletis prophetis, ad alias scripturas sunt adhibitae, tum Isaiae tantum graecus textus servatus atque versionibus circumquaque adornatus fuerit; ideoque harum versionum scriptio ad recentiore etiam deduci possit aetatem, nulla habita ratione suprascripti Paracletici, quod hucusque in aliis tantum prophetis inscriptum vidimus; ab eius sententiae confutatione mallem abstinere. At vero aliquid ad rem animadvertere non recusabo. Ac praesertim hoc vellem considerari, quod nullam veritatis speciem praeseferat opinio, quae tueatur

(1) Isai. Cap. XIX, v. 7.

(2) Cf. Prolegg. par. I. §. VII.

folia eiusdem
semel alia it
lumen casu
prophetarum
prae caeteris
ac propterea
deberent; pr
tarum aliquo
hoc certe mi
contraria anin
habemus, mo
integrum est
intra noni ac
XLVI. Cur
rimus, quaed
edisserere pr
tinuo graeco
dice exaravi
prodit. Eter
quando ad
quaedam in
voluit express
graeco textu t
» eorum. et pr
» spiciunt occu
» non sunt ap
erit eruditio ad
mentum. Cui e
delicet quod ei
nere fungebatur
rabat, et quidqu
esset discrepanti
(1) Cf. paginam co

folia eiusdem vetusti codicis in varios usus distracta, alia semel alia iterum deleta, denique in unum idemque volumen casu, nescio quo mirabili, coisse. Insuper inter prophetarum libros, Isaiae prophetia utpote praestantissima, prae caeteris in usu ecclesiastico liturgicoque adhibita est, ac propterea eiusdem folia facilius quam caetera pessumdari deberent; proindeque fit ut si ex uno volumine prophetarum aliquid post eiusdem usum remaneret servandum, hoc certe minime ex Isaia foret. Quapropter cum ex hac contraria animadversione caetera, quae circa aetatem codicis habemus, momenta nullo pacto labefactentur, cuique sane integrum est asserere, quod eiusdem latinae scripturae aetas intra noni ac decimi saeculi fines constringitur.

XLVI. Cum itaque de latina scriptura codicis nostri dixerimus, quaedam de ipsis, quas exhibet versionibus, aliquid edisserere praestat. Hieronymiana Isaiae interpretatio continuo graecum comitatur textum, et qui illam in hoc codice exaravit, diligentissime in opus suum incubuisse se prodit. Etenim cum ex vetustiori libro eam exscripsisset, quando ad versiculum 10 capitis XXIX ventum est, et quaedam in exemplari suo latino desiderari cognovisset, id voluit expressis declarare verbis. Quandoquidem (1), ex ipso graeco textu translata sunt haec verba « *Et claudebit oculos* » *eorum. et profetarum eorum. et principum eorum qui con-* » *spiciunt occulta* » et statim scriptor adiungit « *Haec verba* » *non sunt apud latinum librum* ». Ex quo certe haud leve erit eruditis ad commendationem exemplaris nostri argumentum. Cui et alterum etiam observandum accedit, videlicet quod eiusdem scriptor non modo amanuensis munereungebatur, sed et singulas sententias sedulo considerabat, et quidquid hieronymianum inter et graecum textum esset discrepantiae adnotare satagebat. Praeterea cum hunc

(1) Cf. paginam codicis 11, in editione nostra pag. 261.

ipsum codicis textum et ad illum, quem inter Opera S. Hieronymi (1) edita a Martianay et ad Clementinum Biblicorum (2) exemplar, quod nuper accuratissime edidit Carolus Vercellone, contulisse, nonnullas nacti sumus lectiones varias, ex quibus aliquid emolumenti biblicis lucubrationibus futurum speramus.

XLVII. Altera etiam, ut iam innuimus, huic hieronymianae adiuncta atque permixta latina legitur interpretatio. Huius autem, quae principio rarius apparet, propheta procedente, adeo copia succrescit, ut textus graecus duplici adornatus latina interpretatione conspiciatur. Tum sibi locum haec altera vindicat interpretatio, cum graecus textus hieronymianae versioni haud perfecte respondeat; et quando hoc contingit, haec altera versio graecum textum fidelissime repraesentat. Ne vero legentibus haec duplicis versionis coniunctio fastidium confusionemque pareret, cavet diligentissimus scriptor, ut altera ab altera primo oculorum aspectu facile secerneretur; hieronymianae enim versioni saepe apposuit IN LATINO, LAT. aut L. nempe IN LATINO vel LATINE; et alteram versionem distinxit litteris GR. vel G. vel GRAE. vel IN GR., videlicet GRAECE vel IN GRAECO.

XLVIII. Cumque haec nobis sese obtulisset investiganda e graeco versio, varias de ea animo agitavimus sententias, ac quid de eadem sibi forent persuasuri eruditi viri, incerti quaerebamus. Facile tamen intelligebam nonnullos ad varia, quae amplexati sunt de sacrorum Biblicorum versionibus, systemata suum de his fragmentis iudicium traducturos; quandoquidem inter opinionum varietatem caveri non potest, haud omnes in eandem convenire sententiam; praesertim cum res ipsa indicia satis manifesta non ostendat. Sunt enim, qui ante Hieronymi tempora vel unam tantum

(1) Opp. S. Hieronymi. Parisiis 1704. Romae Typis S. Cong. de Propaganda

(2) Biblia Sacra vulgatae editionis - Fide, anno 1861.

interpretationem, varias quidem recensiones expertam, in Ecclesiae usu fuisse volunt. Tuentur alii easdem quamplurimas extitisse; etenim Augustini testimonio freti, libertatem, quae cuique erat interpretandi sacras Litteras, magno-
pere extollunt, atque innumeras versiones inde profluxisse tenent, ita ut Hieronymum asserentem tot fuisse exemplaria pene quot codices, fere ad litteram intelligant, atque huiusmodi opinionem evincere studeant. Multi denique has sententias plus minusve patere sinunt. Qui vero de interpretationibus post Hieronymi tempora concinnatis disserunt, ex nostro codice fortasse exemplum et argumentum arripere non recusabunt. Quid itaque in tanta, quam concipiebamus animo, opinionum colluctantium varietate, veluti sententiam satis firmo innixam fundamento, proponere nobis reliquum erit? Novi equidem heic esse plenam dubitationis aleam; contra vero me muneri meo fecisse satis intelligebam si tantum, quae repereram, exponerem, ac caetera doctorum iudicio permitterem.

XLIX. Attamen rem attingere non recusavi, et quae cum has reliquias nanciscerer ac detegerem, menti occurrerunt, animadversiones ingenue propono. Cum non ignorarem quanto ardore rei biblicae studiosi homines ad veteris versionis, quam Italiam appellant, perquirenda fragmenta ferantur; cumque nonnulli periti aliquid eiusdem versionis in nostris fragmentis reperiri posse suspicarentur, investigationem huiusmodi suscipere optimum factu arbitratum sum. Iccirco cum iis, quae veteris Italiae feruntur fragmenta comparavi, et non modo sententiae, sed et verba ipsa eorumque dispositio in utraque versione vel eadem vel simillima apparuere; non ita tamen, ut nihil inde dubitationis nobis esset hanc, quam reperiēbamus, non Italiam sed aliam, nescio quam, esse versionem ex ipso graeco textu depromptam.

L. Siquidem in nostro latino textu multa deprehendi non modo ab indole latinae linguae, sed ab ipsius grammatices legibus prorsus aliena. Noveram tamen plerasque graecas omnino dictiones, nec non phrases, quae tantum graecum sapiunt sermonem, nihilque latini redolent, et etiam nonnullas grammaticales atque ethymologicas anomalias ab ea, quae veteris Italiae est, dicendi ratione haud longe abhorere (1). Quae tamen sive ex interpretis ingenio, sive ex eiusdem patria consuetudine, sive etiam a calligraphorum succedentium ignorantia vel oscitanta irrepere potuerunt. Horum caussa, quamquam aliquanto minus in eadem versione elegantiae sit, iure tamen merito sibi vindicat laudes, quibus eam cumulavit Augustinus, qui eam caeteris, si quae fuerint, praestare semel atque iterum testatus est; ita ut illam esse verborum tenaciorem cum perspicuitate sententiae inficiari ausus sit nemo. Atque ideo vere ac perbelle more suo Hieronymus asseruit eam fuisse, quae « *nascentis Ecclesiae fidem roboravit* » veluti cibus aspectu quidem vulgaris, sed vis vitaeque plenus, qui tamquam solido alimento ab oeconomia sapientissimae Providentiae apparato adolescentem etiam Ecclesiam aluit atque firmavit. Quod quidem, ut praeteream caetera, manifestant curae, quibus hanc versionem prosecuti sunt viri doctissimi, qui omnem movere lapidem eoque cupidius conati sunt, quo sibi vel minimum aliquid ex hac optatissima versione rependi spes esset. Unde quisque facile intelliget quod si quid in illius dictione peccatum est, quamvis mi-

(1) Cf. Tischendorf – Novum Testament. ex cod. Amiatino, Lipsiae 1850. §. XVII. « Codex Amiatinus non ultimo loco ponendus est inter instrumenta ad cognoscendam eius latini sermonis formam, quae ut iam apud Gregorium tu-

ronensem est, rusticitas nuncupari solet, atque apud scriptores antiquos ecclesiasticos celebratur. Cui proprium hoc est, quod multis modis a legibus desciscit, quas scriptores romani classici tum dicendo tum scribendo observarunt.

(1) Cf. Giovanni sulla versione volga

nime pecca
men ipsa t
et cuiusda
logicam in
Christianor
mentum m
LI. Hinc
ut haec fra
canda. Qui
accedit quo
bus probata
sint, ad qu
partes, vel
spectent in
quae adno
nusve prob
cium ferr
monumen
simum tan
ex quo vel
sinceritate o
tem non m
Siquidem in
excellentium
quae in dies
serius adhuc
visas depellen
evererit, et i
nes, et de hac
iudicium.

nime peccatum esse nonnulli erudite contendant (1); tamen ipsa tantum praesefert non emolumenti solum, sed et cuiusdam necessitatis ad criticeu biblicam, et ad patrologicam interpretationem, nec non ad declaranda vetera Christianorum monumenta, ut vel minimum eiusdem fragmentum maximi habeatur necesse sit.

LI. Hinc itaque videretur haud omnem spem excidisse, ut haec fragmenta Isaiae ad veterem Italiam essent revocanda. Quinimo ad huiusmodi spem sustentandam et illud accedit quod hucusque nondum vel certa omnino vel omnibus probata, ea quae appellant criteria, nacta vel confirmata sint, ad quorum regulam, quae revera Italiae versionis sint partes, vel quae eiusdem primigenium, ut ita dicam, textum spectent indubie recognoscantur. Multa quidem indicia sunt, quae adnotare viri eruditi voluerunt, ex quibus plus minusve probabile de quibusdam Italiae versionis locis iudicium ferri licet; attamen adhuc studiis biblicis et novis monumentorum adinventionibus ominandum est, ut certissimum tandem vel reperiatur vel confirmetur argumentum, ex quo veluti lydio lapide, de Italiae versionis textu eiusque sinceritate omni dubio procul sententia dici possit. Hoc autem non modo augurari, sed etiam sperare nobis fas est. Siquidem in tanto biblicorum studiorum ardore, in tanta excellentium ingeniorum contentione, atque in uberrima, quae in dies crescit, monumentorum segete fieri nequit quin serius adhuc lux tam exoptata totque expetita votis ad invisas depellendas tenebras consurgat. Quando autem hoc evenierit, et innumeras alias videbimus illustrari quaestiones, et de hac versione nostra haud dubium erit omnibus iudicium.

(1) Cf. Giovannini - Studi Storici Archivio dell'Ecclesiastico, Tom. IV. sulla versione volgata della Bibbia - pag. 536.

LII. Interea nobis in his angustiis constitutis res factu optima visa est, si ad ea, quae hactenus disseruimus, confirmanda, specimen aliquod comparisonis exhiberemus. Comparamus igitur locum aliquem, qui primus ante oculos nostros sese obtulit, ut inde melius lectori appareat, utrum iure an iniuria hac in re animo pendeamus. Cumque ex fragmentis Italiae veteris, ea nobis prima occurrerent, quae edidit Mai (1), nos e regione ipsis adiecimus nonnulla ex codice nostro, ut lectorum commoditati prospicientes, hoc exemplum συνοπτικῶς proferremus :

ISAIAE CAPUT XXXIV.

EX FRAGMENTIS MAI

4. Et convolvetur caelum ut liber, et omnia sidera eius cadebunt ut folia de vite et ut folia de ficu.

8. Dies enim iudicii Domini et annus retributionis.

15. Illic occurrent cervi et videbunt faciem suam invicem.

16. In numero transierunt et una earum non periit: altera ad alteram non quaesibit, quoniam Dominus mandavit illis, et spiritus congregavit eas.

17. Et ipse mittit in eas sortem, et manus eius divisit pasturam. In aeternum tempus hereditatem possidebitis, et in saecula saeculorum requiescetis in ea.

EX CODICE CRYPTOFERRATENSI

Et involutum erit ut liber caelum. et omnes stellae cadebunt sicut folia vine... et sicut cadent folia a ficu.

Dies enim iudicii Domini et annus retributionis.

Illuc obviam venerunt cervi, et viderunt...ciem alterutris.

Numero transierunt et... ex his non periit, una aliam non requisivit. quoniam Dominus his precepit. et spiritus eius congregavit eos.

Et ipse supposevit eis sortes. et manus eius divisit pastum eis in sempiternum tempus hereditari... q... generationem generationum. et requiem habebunt in eam.

Etsi ea quae nuper animadvertēbam, haud omni veritatis specie destitutam ostendant suspicionem de convenientia inter nostri codicis fragmenta et Italiae versionis textum, fatemur tamen multa nobis, ac quidem haud levia momenta

(1) Spicilegium Romanum tom. IX.

occurrere, quae iudicium nostrum ad negantem partem inclinant. Quae quidem heic paucis exponere, ut absoluta evadat investigatio, totamque mentem nostram aperiamus, opportunum esse arbitramur.

LIII. Paulo ante monebamus permulta in hac versione haberi verba atque dicendi rationes, quae ab indole latinae linguae sunt prorsus aliena; et quamquam nonnulla huiusmodi apud Veterem Italiam versionem reperiantur; ea tamen, quae in nostro codice occurrunt, ad interpretationem latinam in vulgus propagatam et in usu ecclesiastico adhibitam pertinere haud certe videbantur. Cui enim persuasum facile erit apud latinos vulgo usurpari potuisse voces, quae omnino graecae sunt latinis tantum characteribus descriptae? Legitur enim *draci* (δρακι pugillo), *ano* (ανω supra), *eli* (ελι paludes), *γdragogo* (υδραγωγω aquaeductu) *fri-gana* (φρυγανα sermenta), aliaque permulta.

LIV. Qui vero magis magisque arguit graecam manum huic operi instituisse, locus ille est, in quo latinis verbis graeca permixta apparent. Capite XIX Isaiae vers. 7, quod in codice est pag. 110, haec legimus hoc pacto disposita:

& in omni palude cala
mi & papyri. καὶ τὸ ἄχει
τὸ χλωρόν.
omne qd in circuitu

Hinc forte intelligere fas est, quod inter scribendum interpretes verba illa cum recte latina facere nequivisset, graeca, ut in textu iacent, collocavit. Caeterum haec verborum collocatio docet ipsum scribentem aliquod reliquisse spatium ad latinam postea excipiendam versionem; sed cum ipse opus suum recognosceret, neque tunc in promptu verbum ullum latinum ad illud ἄχει recte interpretandum haberet, spatium, quod reliquerat, graecis verbis occupavit. Hoc manifestat scriptorem codicis fuisse etiam huius versionis

auctorem, ni forte velis asserere eorundem verborum interpretationem in veteri codice, quo scriptor noster usus est, desideratam fuisse.

LV. Scriptorem istius versionis opus suum recognovisse patet etiam ex nonnullis emendationibus ac variationibus, quae interdum in codice apparent, quasque omnes in editione nostra adnotare studemus. Harum ut aliqua innuamus exempla, a folio codicis, quod nuper indicavimus, recedere haud opus est; etenim pag. 110 vides haec descripta: *reges fortes dominabit^{un} eorum*. Atque in eiusdem folii parte adversa habemus - *seducent egyptum scdm tribub^{eius} eorum*; et paulo inferius. *In die illa erit altare dño in terra^{medio tre} aegypti*.

LVI. Praeter huiuscemodi emendationes nonnullas legimus adnotationes, quas eadem manus latino textui inseruit; harum aliquot heic referre iuvat, ut eruditus lector de versionis auctore aequum faciat iudicium. Pagina 9 codicis ad verba Isaiae Cap. VI, v. 9. *Audite audientes etc.* ipse scriptor ait: « *In graeco indicativum est hoc non imperativum. dicit enim. - Auditū audieritis et non intelligitis etc.* » Rursus vero pag. 7 ad verba illa Prophetæ capite VII, v. 11. « *Pete tibi signum a Domino Deo tuo. in profundum inferni sive in excelsum* (sic), haec habet idem calligraphus: « *In graeco non dicit - inferni - sed - in profundum sive in excelsum - ut ostendat deitatem et humanitatem XPI. hoc est enim signum magnum* » Denique ne plura consector, ad Cap. VIII, v. 17, post verba « *Et expectabo Dominum qui abscondit faciem suam a domo Iacob. et praestolabor eum* » additum legimus pag. 85. codicis « *Huic minus habetur in latino post enim dum dic..t - Inretientur et capientur - post dicit in graeco - Propterea infirmi erunt etc.* » Ex quibus omnibus, atque

ex inspecta versionis huiusmodi natura haud immerito quisquam concludere potest eam finxisse libri latinum scriptorem, qui sedulo consideratis locis, in quibus graecus textus LXX a versione Hieronymi discrepabat, hanc suo Marte instructam versionem attexuit.

LVII. Si cui vero placeat rem hanc maiori perfundi lumine, sedulo consideret utrum versio haec latina cum fragmentis, quae certissime sunt Italiae Veteris et cum textu communi graeco potius consonet, an cum iis, quae propria sunt editionis Origenis. Quae accurato exquisita examine, si cum Origene potius convenire appareant, ideoque et cum textu origeniano graeco, quem in hoc codice haberi evicimus; planius certe iudicium erit ad hanc versionem scriptori huius libri tribuendam. Etenim Italiam versionem non ex origeniana recensione, sed ex comuni LXX textu ductam esse eruditorum unanimis affirmat consensus; siquidem Italiae aetas Origene antiquior assignatur. Cumque haec nos vel leviter attigerimus, visum est hoc argumentum ex iis etiam posse confirmari. At vero in his perquirendis longius nobis immorari non licuit, quibus ad finem properantibus nonnulla adhuc erant declaranda.

LVIII. Cum itaque ex his appareat scriptorem codicis etiam interpretis munus obiisse, haud certe tamen mens fuit interpretis novam procudere versionem, sed tantum latine reddere iuxta graecam litteram ea, quae in suo graeco textu cum hieronymiana interpretatione haud perfecte consonabant. Si quis vero de scriptore nostro maiora expostularit, nobis vel minime nosse ingenue fatendum, vel ad coniecturas recurrendum est. Ac sane quidem si hic esset coniecturis locus, haud infirmo confisi argumento dicere possemus scriptorem istum monachum fuisse aliquem ex monasteriis graecorum per Italiam constitutis, ac probabilius quidem e Monasterio Sanctae Agathae prope Tuscu-

lum (1), quod iam a saeculo IV. monachos Graecos incoluisse memoriae proditum est.

LIX. Et re quidem vera codicem istum, antequam abradereetur, iam in usu monasterii Cryptaeferratae fuisse vidimus (2); ast vero ibidem animadvertebamus secundam scripturam, nempe Paracleticon S. Ioh. Damasceni in SS. Deiparam, quae in iisdem visitur foliis, ad saeculum circ. XI. pertinere. Quapropter ante illud tempus in hoc monasterio codicem istum servatum fuisse dicendum est. Cum vero monasterium S. Mariae Cryptaeferratae an. 1004 (3) a B. Nilo fuerit excitatum, certe et codex noster inter principes libros, qui huc sunt advecti, debet recenseri. Historia autem duce ab domesticis monumentis certiores facti sumus una cum monachis e monasterio S. Agathae et sacram suppellectilem caeteraque omnia eiusdem monasterii ad novum Cryptaeferratae asceterium commigrasse; ideo vel minime dubitandum videtur, quin cum reliquis libris praesertim liturgicis codex iste Bibliorum eodem commigraverit.

LX. Litterarum insuper monumenta testantur (4) saeculo IV. labente Iohannem quemdam Cappadocem monasterio S. Agathae praefuisse; atque inter hunc hegumenum et S. Gregorium Nazianzenum multam intercessisse consuetudinem; ita ut ab oriente Gregorius eidem hegumeno misisset memorias insignes S. P. Basilii M., qui tunc su-

(1) Cf. S. Bartholomaeum Abb. Cryptaeferratae in vita S. Nili - Vassalli memorias mss. - Sciomari, Note alla vita di S. Bart. - Mattei, Storia dell'antico Tuscolo - Bonanni, Memorie. art. Basiliani. - Chronicon Sublacense mss. - Piacentini, Palaeographiae graec. epitome etc.

(2) Prolegg. par. I. §. V.

(3) Cf. Tavole cronologiche critiche

della storia della Chiesa universale ecc. per Ignazio Mozzoni ecc. continuate per cura di L. B. e G. G. sac. Barnabiti - secolo XI, Roma, Cromolitografia pontificia. 1866.

(4) Chronicon Sublacense - Sciomari, Note istoriche alla vita di s. Bartolomeo IV. Abbate di Grottaferrata - Cardoni, De Tusculano M. T. Ciceronis apologia etc.

premiu di
hannem co
nibus dele
que ipsum
et obedi
quem eius
quomodo
sideratio,
thae et on
potuit, ut
bium post
LXI. Sed
dex in eode
restat consi
gari. Cum is
adnotatione
» dete nunc
» reprehend
» abitant;
» phetarum
» qua Sion
» micidia et
» cant gladi
» mundo non
» quoniam b
» quod Dei po
» cem laudam

(1) Apud eundem
tione XX videre est
stiani viri sibi comp
aliquod latine re
bus, quae divum B
(2) Bonanni, Or

premiū diem obierat (1). Quidam opinati sunt ipsum Iohannem coloniam quamdam monasticam abs Basilii agminibus delectam prope Romanam urbem constituisse (2), atque ipsum esse Iohannem illum qui *S. Basilii discipulus, et obedientiae filius* τέκνον ὑπακοῆς (3) est appellatus, ad quem eiusdem S. Patris Basilii extant epistolae (4). Sed quomodo haec res se habeat, ea ad rem nostram facit consideratio, quod cum tanta intercederet inter hosce S. Agathae et orientales monachos consuetudo, fortasse contingere potuit, ut ex orientalibus regionibus ad S. Agathae coenobium post Gregorii aetatem codex noster fuerit advectus.

LXI. Sed ut ad scriptorem latinum redeamus, quem codex in eodem monasterio sortitus esse videtur, unum adhuc restat considerandum, quod his coniecturis valeat suffragari. Cum iste codicis scriptor varias adiungeret sacro textui adnotationes (5), ad vers. 21, cap. I. Isaiae haec scripsit « *Vi-*
» *dete nunc populus Christianus. si in vetere lege Moyse*
» *reprehendebat Deus civitatem in qua homicide homines*
» *abitant; quomodo in d...o... XPI dñi Moyse et pro-*
» *phetarum non reprehenditur civitas magna Roma, in*
» *qua Sion caelestis magna Ecclesia fundata est. Tot ho-*
» *micidia et bella in ea facta et bellatores cottidie fabri-*
» *cant gladios? Deus pacis est Deus pacem venit dare*
» *mundo non bella. Si enim Deus pacis est Deus, certum est*
» *quoniam lites et bella non Dei sunt sed contraria, et ut*
» *quod Dei populus... ea quae Dei contraria sunt dilig... Pa-*
» *cem laudamus et pacifici nolumus esse. et ideo p... domini-*

(1) Apud eundem S. Gregorium oratione XX videre est quanto ardore christiani viri sibi comparare contendebant aliquod λείψανον vel reliquiam ex rebus, quae divum Basilium spectabant.

(2) Bonanni, Ord. Religios. tom. I.

n. XCV. Lubin, de Abbat. Italiae.

(3) Morinus lib. VI. de poenit. - Fabricius Bibl. graec. tom. X. p. 165.

(4) In edit. Maurina Opp. S. Basilii Ep. XVIII.

(5) Cf. editionis nostrae pag. 203.

» *cam beatitudinem ... et Dei esse filii, ille enim dicit: Beati*
 » *pacifici quoniam filii Dei vocabuntur. Fides nos per ba-*
 » *ptisma fecit Dei filios. et confessiones baptismatis magna*
 » *sunt in Deum iuramenta. Post vero baptismata et tam ma-*
 » *gnas confessiones revertimur in opera quae non sunt filio-*
 » *rum Dei. sed contr.... Si enim pacifici filii Dei sunt... qui*
 » *pacifici non sunt cuius sunt filii?... illius enim faciunt*
 » *voluntatem.* » Quae quidem non modo graecum hominem
 latine loquentem produnt; sed et habita temporum ratione
 hinc elucet scriptorem haud longe ab Urbe, cuius calami-
 tates commemorat, fuisse versatum (1). Ad quam vero ae-
 tatem, quae lamentatur, sint referenda difficile erit iudi-
 cium inter tot turbulentissimos per ea saecula tumultus
 belli; ideoque peritioribus rem integram definiendam per-
 mittimus. Nos vero haec innuisse contenti sumus, ut inde
 pateat sustentari posse coniecturam de monacho graeco
 monasterii S. Agathae scriptore, et forte etiam alterius ver-
 sionis auctore. Quae si ita revera sint, codex iste nostra-
 tium omnium vetustissimus esset habendus.

LXII. Hisce autem expositis animadversionibus et conie-
 cturis haudquaquam nostrum esse duximus sententiam ferre,
 sed doctorum virorum praestolari iudicium. Interea tamen
 et alteram adiungere hypothesim haud inutile arbitramur,
 in qua contrariae de altera versione latina opiniones con-
 ciliari quodammodo videntur. Ac sane quidem non imme-
 rito dici posset huius versionis scriptorem exemplar veteris
 Italiae prae oculis habentem partim ex eo servatis, partim
 ad fidem graeci textus immutatis suam concinnavisse ver-

(1) Usus invaluit apud veteres inter
 scribendum in libris adnotare historicas
 memorias temporis sui. E nostratibus
 commemorare iuvat S. P. Nilum, qui in
 libro a se descripto an. 965 memoriam

cladis Manuelis Patricii adiunxit. Alibi
 legimus memoriam ingressus Roberti
 Viscardi Ducis in Urbem; alias ever-
 sionem Tusculi etc. Cf. Piacentini - Epi-
 tome Palaeogr. graec. pagg. 84, 86.

sionem. Lee
 dae compara
 bit (1). Nos
 LXIII. Po
 planandis op
 quisquam, cu
 tis unum Isai
 qua de causa
 enim foliis gr
 mus. Ac sane
 tico volumine
 tantum, qui t
 ptore selectu
 illius ecclesia
 inter reliquo
 dem vaticinia
 modo proph
 caret (2). Qu
 habet; unde
 ad exscriben
 nandum sit
 usibus adeo f
 ex Veteri Tes
 numquam aut
 liturgicis legib
 lectio huius p
 dies distributa
 terat, ut vir il
 aut monastico
 principem ador
 ret versionem,
 forte moribus
 (1) Vercellone, di

sionem. Lectionem veteris Italiae versionis et nostrae secundae comparantibus haec sententia fortasse nonnullis arridebit (1). Nos vero in his ulterius non immoramur.

LXIII. Postquam igitur superioribus quaestionibus explanandis operam navare contenderimus, quaeret a nobis quisquam, cur iste latinus scriptor caeteris omissis prophetis unum Isaiaem interpretatione suscepit adornandum; et qua de causa susceptum opus non absolverit; in postremis enim foliis graeci textus Isaiae latinas versiones non legimus. Ac sane mirum videretur quod ex toto illo prophetico volumine, quod iam ex his fragmentis constabat, Isaia tantum, qui tertium post decimum locum obtinet, ab scriptore selectus esset; nisi ad ipsam prophetiam atque ad illius ecclesiasticum usum animadverteretur. Isaia enim ita inter reliquos prophetas praestare visum est, ut ad eiusdem vaticinia admiratione perculsus Hieronymus illum non modo prophetam, sed historicum et Evangelistam praedicaret (2). Quique praesertim in latinis libris principem locum habet; unde haud plane mirum si latinus calligraphus, latino ad exscribendum usus libro, primum Isaiaem versione donandum sit aggressus. Praeterea in graecorum liturgicis usibus adeo frequens est Isaia, ut quoties sacrae lectiones ex Veteri Testamento in ecclesiasticis officiis adhibentur, numquam aut fere numquam Isaia desideretur; quinimo liturgicis legibus sancitum est, ut in maiori Quadragesima lectio huius prophetiae fere integre per singulos feriales dies distributa habeatur. Quamobrem facile contingere poterat, ut vir ille fortasse ecclesiasticis mancipatus officiis, aut monastico ordini addictus latina interpretatione Isaiaem principem adornaret; atque insuper alteram etiam adiungeret versionem, ut ipse et caeteri hoc utentes libro latinis forte moribus instituti, latinaque lingua callentes quid

(1) Vercellone, dissert. cit. p. 16.

(2) Praefat. ad Isaiaem.

inter utrumque textum communem latinum et graecum intercederet, hinc facile recognoscerent. Cum autem ea tempestate sacrarum Litterarum studia vel unice vel maxime apud ecclesiasticos ac praesertim canonicos viros excolerentur, ea, quae scriptor noster in codice suo curavit, valde erant suis consentanea temporibus atque hominibus. Cur vero ipse suum vel in uno Isaia opus non absolverit ex iis duntaxat rerum adiunctis, in quibus scriptor versaretur, cognosci posset; intercepti enim operis causa ex his tantum petenda est. At vero qui eam divinari conaretur, operam suam plane ludere arbitramur.

LXIV. Illud tamen, quod praeterire silentio ullo pacto nequimus, est frequens in textu latino numeralium distinctionum usus. Multi de sacrarum Litterarum distinctionibus vel sectionibus disseruerunt (1), sed cum neque tempus neque res expostulet, ut de his disputationem instituamus, monemus tantum sectiones quasdam in palimpsesto nostro numeris nonnumquam adnotari. Numeri huiusmodi ad versionem Hieronymi sunt adiecti, numquam vero ad eam, quae ex graeco ducta est; unde facile quisque intelligit ex eo *libro latino* seu vetustiori codice, quem scriptor adhibuit et commemoravit (2), fuisse descriptos. Plerumque autem vel adeo in extremo codicis margine numerale notae sunt appositae, ut praecisis foliis perierint, vel ab ipso fuerint praetermissae scriptore; nobis enim nonnullas reperire minime datum est. Interdum tamen idem calligraphus non modo in latina versione, sed etiam in graeco textu has notas latine aut graece, vel graece pariter ac latine consignavit. Quaeque omnia singulatim in editione patere curavimus adiectis vel omissis numeris, vel etiam locis graeci textus

(1) Zaccagni, Collect. Monum. vet. Ecclesiae graecae et latinae. Praefat. - B. Card. Thommasi, Opp. t. I. Stichome-

tria. Vezzosi, praefat. ad Thommasi - De Valroger, Introduction historique ecc.

(2) Cf. Prolegom. §. XLVI.

inter adnotationes, quas adiecimus, recensitis. Ut vero et ex hoc capite appareat quanta sit consonantia huius hieronymiani textus cum aliis vetustate et auctoritate praestantibus, commemorare iuvat praedictas numerales notas cum iis distinctionibus, quas B. Card. Thommasi ex vetustissimis excerpsit codicibus, convenire (1).

LXV. Sed tandem manus de tabula. Cum nostrae tantum partes essent ea, quae reperimus, descripta exhibere, ut quo pacto iaceant in palimpsesto, omnibus pateat; tamen nonnullas ad haec fragmenta animadversiones exposuisse lectores nobis vitio non vertant; imo potius ab iisdem doctis viris atque eruditis plenius expostulamus iudicium. Verumtamen ex his quae diximus, cuique facile apertum est quanti sint habenda non modo fragmenta graeca et versio hieronymiana Isaiae, sed etiam altera ex graeco interpretatio, quam, sive ex veteri Itala exscripta aut concinnata, sive ab ipso fuerit calligrapho confecta, biblicae rei studiosis viris acceptissimam futuram iudicamus, et inter pretiosa vetustatis cimelia, quae doctus ille Sabatier in suo locupletissimo thesauro comparavit, merito recensendam. Unum tantum nunc denique restat; ut quam in iis edendis fragmentis rationem secuti fuimus, paucis exponamus.

(1) Quidquid de his stichometricis latinis textus appositae et quae adiunximus signis esset animadvertendum adnotationibus ad calcem cuiusque pagellae monent.

um et graecum
m autem ea
nice vel main
viros excolere
o curavit, val
nominibus. Co
n absolvent
ptor versaret
ssa ex his ta
onaretur, op
tio ullo pact
ralium distin
istinctionibu
eque tempus
stituamus,
sesto nostro
modi ad ver
o ad eam,
intelligit ex
riptor adhi
rumque au
erales nota
ipso fuerit
reperire m
graphus no
tu has nota
consignavi
e curavim
graeci textu
ad Thommasi
n historiqu
§. XLVI.

Dono Rmā Dni Michaelis Basilii Clari
(1) Fas sit hos inter meminisse
cl. v. Anselmum Nikes Ord. s. Bene-
dicti monachum nobis conuocantibus
quem anno superiore suis scientiasque
mors acerba praeripuit.
(2) Confer eiusdem Dissertationem
de nostro codice de qua plures huius-
modi nobis laudandum est.

PARS IV.

DE EDITIONE NOSTRA

LXVI. Cum haec vetustate insignia atque optimae notae fragmenta detexissem, fieri non potuit quin de vulgandi ratione cogitarem; consilio cum doctis eruditisque viris (1) communicato, hi non modo opus quammaxime probavere, eiusque pretium recognoverunt, sed etiam hortatores impulsoresque fuere, ac quidam operam suam humanissime sunt polliciti. Quos inter praecipue excelluit cl. vir Carolus Vercellone Congregationis Clericorum Regularium S. Paulli, ita ut si cui gratias hac de re agere vel habere eruditi debeant, eidem vel maximas et agant et habeant necesse est. Is enim primus de his fragmentis iudicium tulit, ad manus editioni admovendas est cohortatus, neque consilium neque operam suam ullam recusavit (2). Eius autem quantum valeat peritia, in re biblica praesertim, non modo merita fama, sed et operosissima volumina testantur.

LXVII. Neque externa tantum nos movebat auctoritas; inter monasticos sodales ac moderatores fuere, qui opus nostrum non modo comprobarunt, sed commemoratis praesertim (3) patrum institutis, ac decessorum nostrorum stu-

(1) Fas sit hos inter meminisse cl. v. Anselmum Nikes Ord. s. Benedicti monachum nobis coniunctissimum, quem anno superiore suis, scientiisque mors acerba praeripuit.

(2) Confer eiusdem Dissertationem de nostro codice, de qua pluries diximus.

(3) Nihil nobis hac in lucubratione magis gratum erat, nihilque maiores animos addere poterat, quam exemplum S. P. N. Basilii Magni. Historia enim duce novimus eundem Basilium manu sua ad emendationem sacrorum Codicum instituisse; tantoque huiusmodi emendationes in pretio habitas esse, ut

diis (1) ut in publicam lucem ederetur nobis fuerunt auctores. Itaque freti consilio virorum, quorum apud nos maxime semper valuit auctoritas, praeunte monastica obedientia ad opus, cui certe vires impares erant, aggredendum adducti sumus.

in libris, qui ab eius exemplari venirent, eiusdem emendationis notitia in mne-mosyno adderetur. Apud Georgium Syn-cellum in *Chronogr. - Scriptores Bizant.* ed. Venet. tom. V. p. 162. de quodam magni pretii Bibliorum codice legimus . . . ἐν ἐνὶ δὲ ἀντιγράφῳ λίαν ἡκριβωμένῳ κατὰ στιγμὴν καὶ προσῳδίαν ἐκ τῆς ἐν Καισαρείᾳ τῆς Καππαδοκίας ἐλθόντι εἰς ἐμὲ, βιβλιοθήκης, ἐν ᾧ καὶ ἐπεγέγραπτο ὡς ὁ μέγας καὶ θεῖος Βασίλειος τὰ, ἐξ ὧν ἐκεῖνο ἀπεγράφη, ἀντιβαλὼν διορθώσατο βιβλία... In uno autem exemplari, tum ad interpungendi, tum ad accentuum rationem quod spectat, multa diligentia elaborato, quod ad me pervenit ex bibliotheca Caesaræae Cappadociae, in quo etiam erat memoria exarata, quod Magnus et divinus Basilius, cum comparasset biblia, ex quibus illud scriptum fuerat, emendavit...

(1) Pleni sunt omnium veterum ecclesiasticorum scriptorum libri, plena exemplorum vetustas quantum Ecclesiae Patres, monastici ordinis germina, in sacris Litteris operis contulerint. Nobis vel tantum quaedam domestica, ut ita dicam, exempla commorare iuvat. Sancti huius Cryptoferratensis Asceterii fundatores Nilum et Bartholomaeum in sacris Scripturis una cum sociis sedulo evigilasse historia testatur. Hisce vero temporibus in biblicis studiis prae-

sertim incubuere Philippus Vitali et Benedictus Monaldini, ut apud Blanchinium (*Evang. Quadrupl. tom. I. pagg. 506, 559, 574, et tom. II. p. 589*), cognoscere est. Quinimo Monaldini celebrem quaestionem « DE CAEPHA » scite atque erudite in scriptis suis adhuc ineditis est prosecutus. Hos inter sodales et locum sibi vindicant Michael Basilius Clari dein Metropolita Barenensis, et abbas Epiphanius Mazio; ille enim praecipue in explanandis Scripturis ad utilitatem gregis et pastorum Christianitatis operam dedit (*Op. Bari 1855-57. Lo spirito dell'Episcopato Cristiano - Napoli 1847. etc. V. Garruba - Serie critica de' sacri pastori Baresi n. LXXXVII*). Ut vero biblica studia apud suos foveret, praeter alia Bibliothecae nostrae addixit magnificentissimam editionem textuum originalium ss. Bibliorum hebraico-graecam cum interpretatione interlineari. In huius insignis voluminis tegmine aureis litteris consignatum est — *Ex dono Rm̃i Dñi Michaëlis Basilii Clari Archiepiscopi Baren. olim e Basilianorum Cryptoferres familia* — Epiphanius Mazio inter varia scripta reliquit Apologeticon de Evangelio S. Iohannis adversus Karolum Theophilum Bretschneider. Istis itaque veluti ducibus in eodem studiorum curriculo versari certe nobis laetandum est.

LXVIII. Maximos vero hac in re stimulos addebat opus idem, quod in bonum Ecclesiae cedere, ad heterodoxas calumnias infringendas valere, ac doctorum studiis profuturum facile nobis persuadebamus; praesertim cum hac tempestate tum in Italia, tum apud exteras gentes a pluribus haec studia excolantur, et ab omnibus doctis viris favore atque aestimatione, ut par est, prosequantur. Illud vero quod caeteris omnibus cumulum adiunxit, Pontificis summi verba fuere, qui semel atque iterum huiusmodi studia iudicio suo gravissimo et maximo comprobavit, eosque qui ad illa incumbunt honorificentissimo Litterarum testimonio honestavit, et ut in opere suo utilissimo persisterent, verbis benevolentia et zelo plenis est cohortatus (1).

(1) Cuius rei ut aliquod exemplum praesto sit, viris doctis haud certe ignotum, praeter ea quae de postremis Romanis Pontificibus Leone XII, Pio VIII, Gregorio XVI, Pio IX dicit Mai in fronte Novi et Veteris Testamenti ex vetustissimis codicibus Vaticanis editi an. 1857, legas velim quae ad cl. v. Carolum Vercellone, datis die xv. Novembris 1860 litteris, Pius PP. IX scripsit de eiusdem laborioso ac praestantissimo opere — *Variae Lectiones Vulgatae Latinae Editionis* — eidem Pontifici nuncupato. Ait enim: « Nil certe nobis gratius quam » optimas quasque disciplinas praeser- » tim sacras omni studio iuvare, fovere, » et singulari eos prosequi benevolen- » tia, qui utilem in illis excolendis ope- » ram ponunt et collocant. » Ac post humanissimas gratulationes zelo refer- » tas dicit: « Cum autem haud ignore- » mus qua eximia religione, pietate et » eruditione praestes, tibi addimus ani-

» mos ut inceptum opus naviter scien- » terque absolvendum et perficiendum » cures, omnesque ingenii tui vires in » iis peragendis semper impendas, quae » asperrimis hisce praesertim tempori- » bus magno christianae et civili reipu- » blicae usui et ornameto esse possint. » Nec minori humanitate ac zelo idem Pontifex acatholicum virum biblicis investigationibus magna cum fama et felicissimo exitu operam navantem alloquitur in epistola ad Constantinum Tischendorf data die xxxi Maii 1862 « Ne » que ambigimus quin investigationes » et lucubrationes tuae viris doctis in- » ter catholicos magno futurae sint emo- » lumento, cum sacrarum scientiarum » suppellex novis thesauris ditescat. » Universi autem orbis docti viri optime norunt quid eidem Pio IX. P. M. hac etiam in re debeant: is enim non modo Maianam editionem Bibliorum Graecorum suo nomine insignem tandem ali-

LXIX. Se
in hac adom
paucis declar
palimpsesti
retur; et, si
modam codi
ex sententia
sime explere
typorum co
fulgeret; et
norem habet
secius omne
formae ea o
praesentaren
servata est
et orthogra
editione no
res est qua
perinde ac
ut iam ab
veteri libro
rum formas
sum duximu
legentibus i
quando in lucem
modo novam re
ad perfectam eu
dicis similitudin
licet, omnium vo
(1) Cf. Tischendorf
mentum Sinaiticu
riani, Monumenta
tom. III. etc.
(2) En consilia

LXIX. Sed ut ad nostra redeamus, reliquum est ut quae in hac adornanda prophetici codicis editione praestitimus, paucis declaremus. Illud quidem erat in votis ut uncialis palimpsesti scriptura uncialibus typorum formis exprimeretur; et, si fieri posset, tales haberentur, quae ad omnimodam codicis similitudinem accederent. Sed neque omnia ex sententia contingunt, neque opera plerumque absolutissime explere desideria valent. Itaque cum neque huiusmodi typorum copia adesset, neque spes quantocyus habendi affulgeret; et litteram tantum optimae quidem notae, sed minorem haberemus, necessitati parendum fuit. Nihilo tamen secius omnem movere lapidem haud omisimus, ut hae etiam formae ea omnia, quae propria sunt codicis, ad unguem repraesentarent. Ideoque non modo paginarum ac linearum servata est adamussim ratio; sed et compendia verborum et orthographiae signa meliori, quo possemus, pacto in editione nostra referre et adnotare statuimus. Una tantum res est quam, ut etiam apud alios (1) factum vidimus, non perinde ac in codice est, exprimendam iudicavimus. Verba, ut iam ab initio monebamus, nulla ratione inter sese in veteri libro distincta sunt; nos vero cum easdem litterarum formas repraesentare nequivissemus, haud certe necessum duximus difficultatem ex hac scribendi ratione partam legentibus inducere; ideoque singula verba separavimus (2).

quando in lucem prodire voluit; sed et modo novam recudi iussit editionem ad perfectam eiusdem vetustissimi codicis similitudinem, quae ut sperare licet, omnium vota cumulabit.

(1) Cf. Tischendorf, Novum Testamentum Sinaiticum. Lipsiae 1863 - Cerriani, Monumenta Sacra et Profana, tom. III. etc.

(2) En consilium quod hac in re

sibi probatum tradit I. Theod. Beelen - Grammatica Graecitatis Novi Testamenti - Lovanii 1857. sect. II. §. 5. p. 31.

« Optimum sit, quidquid codices antiqui
» hic praeceperint, ubi de mente scriptoris certo constet, in edendo textu
» coniunctim exprimere voces quae aliam
» notionem habeant si scribantur separatae, et omnino adhibere distinctam
» scripturam ubicumque hoc faciat ad

In iis vero locis, in quibus nonnihil dubitationis distinctio afferret, in adnotationibus aliquid monendum curavimus, in caeteris vero, nisi obstet interpungendi usus, de quo in priori Prolegomenorum parte diximus (1), iudicium lectori integrum esto.

LXX. In eadem priori parte, cum codicem describendum curarem, nonnulla de figura litterarum aliisque adscriptionem vetustissimam pertinentibus animadverti, quae iterum referre supervacaneum esset. Ex iis enim, quae dicta sunt, et ex photographico exemplari editioni nostrae adiuncto facile quisque de scripturae veterrima forma iudicium faciet. Unaquaeque editionis nostrae pagella in fronte praesefert nomen Prophetiae atque hinc inde numerum paginarum praesentis codicis et caput atque versiculos extremos, qui paginam obtinent, Vulgatae Latinae editionis hac in re, uti lectorum commodo consuleretur, ordine servato. Numeralem vero notam, quae paginarum editionis nostrae progressum computat ad inferiorem paginae partem collocavimus. Qua signorum dispositione factum est, ut omnia quae in parte graeca sub linea superiori sunt, si tantum arabicos numeros qui adnotationibus respondent, et numerum paginarum excipias, ab codice fideliter expressa esse cuique pateat.

LXXI. Si linea, aut si quid loci foret, quod vel legi nequiret, vel dubie appareret, punctis, ut vocant, adhibitis huiusmodi deficientiam innuimus. Eandem rationem servavimus in titulis vel inscriptionibus, quae purpureis olim descriptae sunt litteris, quarum nonnumquam aliquot elementorum vestigia, saepius nulla prorsus excitari potuerunt. Harum aliquot ex editione Sixtina depromentes inter

» iuvandam orationis perspicuitatem; si-
» cubi vero non apertissime constet de
» mente scriptoris, ea sequenda sit scri-

» bendi ratio quam antiqui codices de-
» monstrent. »

(1) Cf. Prolegg. §. XXI. pag. xx

adnotationes
sione dignum
set, revocato
reperiri posse
lectorem de
nostri section
quas vel in n
servavimus (1)
adnotationes
LXXII. O
veteri codice
declaretur o
pressis editio
In nonnullis
phetae Isaia,
minores pra
et editionibu
locum datur
ximus, iam
in collocand
verit; videli
maiores sequ
HEAIAZ IT. A
dubio declara
obtinet, post
tum. Idipsum
numeralibus.
minorum prop
videlicet IX. a
cum margine
(1) Cf. Proleg. pa
XXV, par. III, §.
(2) Cf. Prolegom

adnotationes innuimus. Quando vero aliquid animadversione dignum occurreret, quod oratione declarari opus esset, revocato in adnotationibus signo numerali ex quo facile reperiri posset eiusdem textus pagina, columna et lineola, lectorem de singulis monuimus. Praeterea ne nimium libri nostri sectiones succrescerent, scholia illa graeca et notulas, quas vel in margine codicis vel interlineares aliquando observavimus (1), apposita interpretatione latina inter easdem adnotationes dedimus.

LXXII. Ordo denique, in quo prophetarum libri et in veteri codice et in editione nostra dispositi sunt, paucis declaretur oportet. Duplex tum in codicibus tum in impressis editionibus est ratio disponendi prophetarum libros. In nonnullis siquidem quatuor, qui appellantur maiores prophetae Isaia, Ieremia, Ezechiel, Daniel duodecim reliquos minores praecedunt; sed in quamplurimis vetustis codicibus et editionibus, praesertim Sixtina post minores maioribus locum datum videmus. Ex his, quae in superioribus (2) diximus, iam plane lectori exploratum est quemnam ordinem in collocandis prophetiis vetustissimus liber noster servaverit; videlicet primo loco habuit minores, quos deinde maiores sequebantur. Quandoquidem illa Isaiae inscriptio ΗΣΑΙΑΣ ΙΓ. *ISAIAS DECIMUS TERTIUS*, omni procul dubio declarat Isaiam, qui principem inter maiores locum obtinet, post duodecim minores prophetas fuisse collocatum. Idipsum etiam apertissimum est ex quaternionum notis numeralibus. Iam antea vidimus (3) unam, quae restat in minorum prophetarum foliis, istiusmodi notam, nempe Θ'. videlicet IX. ad Zachariam pertinere; nota vero Ι'. (X) una cum margine folii (192-193) in Malachia (4) periit. Caete-

(1) Cf. Proleg. par. I. §. XXIII, p. II. par. II. §. XXVII. XXXV, par. III, §. XLIV.

(3) Cf. Proleg. par. I. §. XIV.

(2) Cf. Prolegom. par. I. §. XIII,

(4) In percelebri codice Marchaliano,

rum ad paginam septimam huius decimi quaternionis initium habemus Isaiae et caeterae omnes numerales notae quae superfuerunt usque ad NT. quinquagesimam septimam (Cap. IX. Danielis), quae postrema visitur, ad prophetas attinent maiores. Baruch post Ieremiam locum habet; huius autem Lamentationes et Epistolam pone sequuntur. Danielis prophetiam comitantur historiae Susannae, Draconis et Bel una cum cantico trium puerorum. Iam in priora parte (1) commemoravimus Danielis prophetiam per Visiones distribui; restant adhuc in palimpsesto huius divisionis indicia (pagg. 155, 158, 163, 166); cuiusque autem Visionis verba quaedam in principio non atramento sed purpurea scriptura exarata fuerunt. Qua in re, tum scilicet in divisione Visionum, tum etiam in verbis prioribus minio insignibus codicem nostrum cum vetustissimo codice Alexandrino-Londinensi cognovimus convenire (2).

LXXIII. Ex his itaque quae hucusque declaravimus facile novit lector, qui fuerit ordo prophetiarum in nostro codice; nos vero sedulo attendentes eundem ordinem uno in loco convertere iudicavimus. Siquidem cum vel minima sint minorum prophetarum fragmenta, ea post maiora venire consentaneum visum est. Quin etiam Isaias in editione nostra praecipuum sibi locum vindicat cum ex copia sua, tum etiam ex duplici versione latina, qua ornatur; atque

de quo plura in secunda Prolegomenorum parte diximus, ad calcem Malachiae hanc inscriptionem notavimus:

ΜΑΛΑΧΙΑΣ ΙΒ.

ΠΡΟΦΗΤΑΙ ΙΒ.

quae aperte monstrat heic concludi seriem duodecim prophetarum; ii vero qui post collocati sunt maiores prophetae nulla progressionis nota distincti apparent.

(1) Cf. Proleg. p. I. §§. XIII, et XVI.

(2) *Vetus Testamentum graecum e codice ms. alexandrino, qui Londini in Bibliotheca musei Britannici asservatur typis ad similitudinem ipsius codicis scripturae fideliter descriptum cura et labore Henrici Hervei Baber etc. Londini 1846. De hac editione confer Tischendorf. Prolegg. ad V. T. iux. LXX Interpr. 1860 §. XXVII. et seqq.*

unus est qui initio suo gaudet. Qua vero in re si cui haud arrideat consilium nostrum, fateatur tamen oportet nihil inde studiosorum virorum animadversiones offendi posse, cum et veterum quaternionum numerales notae religiose sint expressae, et quae modo dicimus ordinem codicis abunde declarent.

LXXIV. Veniamus modo ad ea quae in latinis Isaiae versionibus palimpsestis edendis praestitimus. Quamquam hac in parte linearum rationem, quae est in codice, retinere non sit datum in editione nostra: cum lineae in marginum spatiis descriptae modo nimium excederent folia nostra, modo angustis maximis absolverentur; nihil tamen intentatum reliquimus, ut omnia ad unguem exprimerentur. Idcirco singulas paginas in editione nostra accurate distinximus recensitis numeris paginarum praesentis codicis, et capitibus et versiculis extremis uniuscuiusque paginae notatis. Ut vero magis magisque legentium commodo prospiceretur, curavimus ut altera ab altera versione latina non modo per initiales litteras L, G vel LAT. GRAE. ut in codice factum est; sed et per varietatem characterum distingueretur. Ideoque hieronymianam versionem communi rotunda typorum forma, alteram caractere inclinato, quem vocant italicum, edidimus. Numerales notas et quidquid aliud in codice vidimus, suis locis adiungere non omisimus. Cum vero plerumque orthographia minus accurata appareat; ne quid lectori desiderandum relinqueretur verba, ut iacent in codice mendose descripta retinuimus, et si quid explanare opus fuerit, ad calcem cuiusque pagellae significavimus.

LXXV. Hoc pacto igitur editionem conficiendam nobis statuimus, nihilque religiosius habuimus quam ut codex fidelissime repraesentaretur. Cui rei etsi nonnulla obstare iam antea animo conciperemus, manu operi admota et

maiora sumus experti. Nihilominus cum difficultates augerentur et simul diligentiam augere contendimus. Obstabat siquidem ipsa palimpsesti natura, obstabat quamplurimum membranarum corrosio, et pluribus in locis characterum veterum paene omnimoda abrasio; qui nonnumquam adeo evanuerunt, ut omnem fugerent perscrutationem; in iis vero paginis, quae tertio fuere descriptae, ut excitarentur characteres unciales duplici abrasione deleti, ac duplici subscriptione sepulti, neque oculorum labori, neque patienti contentioni parcendum fuit. Quare nil mirum si nonnullis in locis quaedam desideranda reliquimus, ac quasdam codicis paginas vel frustra tentavimus, vel ne tentanda quidem duximus; spes enim nostras ibi incassum cadere erat nobis persuasum. Ad haec et alterum accessit incommodum; nimirum emendatio typographica a nobis in Tusculanensi Monasterio longe a typographia constitutis perficienda; ideoque vel raro patebat ad typothetas accessus; neque oculis nostris operis typographici absolutionem considerare poteramus. Qua tamen in re certe anxietati nostrae haud parum levaminis afferebat merita fama Typographaei Romani S. Consilii de Christiano Nomine Propagando, quod modo auspice Pio IX. Pont. Max. per Equitem Petrum Marietti pristinum inter caeteras orbis librarias officinas honorem conservatum sibi ac restitutum videt (1). Haec autem nostra editio multa debet diligentiae ac peritiae Camilli Griffon eiusdem typographaei prototypothetae; qui multum operis sui in eandem impendit. Cum is ex adversariis nostris textum typis mandasset, per tabellarios publicos impressiones nobis transmittebantur; nos vero, omissis schedis nostris, ad fidem codicis rem omnem castigabamus, et eidem remittebamus typographo. Deinde iterum emendatae im-

(1) Cf. Galeotti—Della Tipografia Poliglotta di Propaganda, discorso estratto dal *Conservatore* periodico di Bologna, Serie I. vol. VII. Torino, 1866.

pressiones ad manus nostras afferebantur; nos vero denuo observato codice et singula perscrutati, si quid emendandum adhuc supererat, indicabamus. His curis saepe tertio repetitis, tandem typi praelo committebantur; semper tamen ultimis emendationibus recognitis ab cl. v. C. Vercellone, cuius summae indulgentiae fuit hoc fastidiosum opus assumere. Neque tamen huiusmodi curis contenti fuimus, sed si quid humani opus nostrum passum esset, per novam codicis cum editione comparisonem investigare, atque in adnotationibus significare constituimus, ut viris eruditis huic editioni omnino esset acquiescendum.

LXXVI. Sed tandem vela nobis contrahenda sunt. Accipias, humanissime lector, novum monumentum biblicum sane praeclarum (1); et studiis ac lucubrationibus tuis magis

(1) Ex his quae in his Prolegomenis disseruimus quisque sibi facile persuaserit quanti habendum sit palimpsestum nostrum; verum rem maxime gratam lectoribus me facturum spero si aliqua referam ex his quae cl. Vercellone in Dissertatione de hoc codice saepe laudata habet. Cum sermonem instituisset de versione graeca LXX. Interpretum sic eruditissimus vir orationem suam prosequitur: « Al-

» cuni codici di questa versione sono
 » forse i più antichi che si conoscano
 » al mondo. Questi sono il vaticano (a)
 » e l'alessandrino (b), ai quali s'ag-
 » giunse testè il sinaitico (c). Essi ap-
 » partengono al quarto o quinto se-
 » colo. Ma al sinaitico manca più della
 » metà del vecchio Testamento (d), e
 » quanto ai libri profetici, dei quali
 » ora dobbiamo discorrere, vi mancano
 » i libri di Ezechiele, Daniele, Osea,
 » Amos, Michea e parte dei treni di

» Geremia. Oltre i suddetti tre codici,
 » altri pochissimi se ne conoscono dei
 » libri profetici in carattere unciale
 » greco; e questi pochi appartengono
 » ai secoli fra il sesto e il nono. L'Hol-
 » mes e il Parsons che frugarono quasi
 » tutte le biblioteche d'Europa per col-
 » lazionare i manoscritti greci della
 » versione dei Settanta, non iscopri-
 » rono altro codice dei libri profetici
 » in carattere unciale fuorchè 1° il
 » *Marchaliano* (e) che ora si trova nella
 » vaticana (num. 2125) e che sembra
 » del settimo o dell'ottavo secolo (f);
 » 2° un codice *veneto* (presso l'Hol-
 » mes (g) num. 23) che dicesi del se-
 » colo nono, e contiene Isaia coi pro-
 » feti minori; 3° finalmente pochi fo-
 » gli d'un codice dell'*ambrosiana* (h),
 » e un altro di *Dublino* (i), che in tutto
 » ci danno tre o quattro capi d'Isaia
 » e pochi versi di Malachia. Più re-
 » centemente il dotto Tischendorf sco-

magisque eius praestantiam atque utilitatem aperias velim. Ad biblicam suppellectilem locupletandam hoc cimelion accedit, quod nos ad christianae religionis monumenta illustranda, et ad criminationes heterodoxorum contra sacra volumina, quae eiusdem religionis tabulae sunt afflante Spiritu Sancto descriptae, retundendas adiecisse laetamur. Et sane, ni quid emolumenti doctis Ecclesiae viris ad genuinos sacrarum Litterarum textus expoliendos id esset allatu-

» prì due frammenti palimpsesti forse
» del secolo settimo, dei quali il primo
» contiene quattro o cinque capi d'Isaia,
» e l'altro pochi versi d'Ezechiele; egli
» li pubblicò amendue nel tomo 1. e 2.
» dei suoi *Monumenti sacri palimpse-*
» *sti* (k). Fin qui non si conosce al-
» tro codice dei libri profetici in ca-
» rattere unciale greco. Adunque, non
» computando i frammenti che ho ri-
» cordati, di questi libri si trovarono
» sin ora soli tre esemplari, il vati-
» cano, l'alessandrino e il marchaliano.
» Ma oggi mercè lo studio accuratissi-
» mo e la somma diligenza adoperata
» dal monaco basiliano Giuseppe Cozza,
» noi potremo aggiungerne un quarto,
» quantunque imperfetto, rimasto sino
» al presente sepolto e celato nelle per-
» gamene che formano il più bell'orna-
» mento della biblioteca dei monaci di
» Grottaferrata nell'agro tuscolano.

» Dalle poche cose che ho premesso
» voi già comprendete quanto sia gran-
» de la preziosità del codice che io mi
» sono proposto di descrivervi, e come
» esso sia da noverarsi fra le più sin-
» golari rarità d'una biblioteca. Ma ciò
» che sono per dire dell'uso che se ne
» può fare in profitto della sana critica

» vi persuaderà che noi abbiamo acqui-
» stato per la scienza biblica un non
» piccolo tesoro ecc. »

(a) *Stampato per cura del card. Mai e pubblicato da me in Roma nel 1857.*

(b) *Publicato dal Baber in Londra 1816-1828.* (c) *Biblior. codex sinaiticus ed. Tischendorf, Petropoli 1862.*

(d) *Manca più della metà dell' antico Testamento ancorchè si aggiunga al sinaitico pubblicato a Pietroburgo il codex Friderico-Augustanus, ed. Tischendorf, Lipsiae 1846, che è una parte dello stesso sinaitico.* (e) *Presso l'Holmes num. XII. Vedi Curterius, Praef. ad Procop. in Isai., Montfaucon. Palaeogr. graeca lib. 3. c. 5. pag. 224, Hexapl. Tom. I. Praelim. p. 14, Collectio nova patrum et script. graec. t. II. pag. 349, Hodijs de Biblior. text. original. p. 598, 616, 620, 638, Blanchini Vindiciae bibliorum p. CCLVIII. e segg., Mai Nova biblioth. Patrum tom. IV. pag. 318.* (f) *Al secolo VII. lo ascrive il Montfaucon nella Palaeograph. graeca p. 40, ma alla pag. 225 all'VIII; così pure l'Holmes.* (g) *L'Holmes seppe troppo tardi che questo codice Veneto era in caratteri unciali, perciò non l'ebbe notato coi numeri romani.*

rum, nec tantum nobis eripi tempus passi, nec tam fastidiosum oculorum et diligentiae operosum laborem fuisset aggressi. At faxit Deus, ut quod ad sacra verba, quae ipse per Prophetas locutus est, illustranda opus suscepimus tum nostram, tum aliorum animas et studia iuvet, ac suae maiori tantum cedat laudi. Hac enim ratione opellam nostram, qualiscumque demum ea sit, fructum amplissimum consecuturam esse arbitrabimur.

Vedi la Pref. di Holmes al libro di Daniele e Giobbe. Altri codici in caratteri unciali non furon distinti dall' Holmes coi numeri romani, come i codici 27, 43, 188, 190, 294, ma questi contengono solo il Salterio o parte di esso. (h) Il cod. ambrosiano presso l' Holmes n. VII contiene Isai. V, 20-VI, 10 e Malach. I, 10-II, 15. Ma di questo frammento è da leggere ciò che ne scrisse il ch. Ceriani. Monum. sacr. et prof. tom. III. pag. IX. (i) Il codice dubli-

nense presso l' Holmes num. VIII contiene Isai. XXX, 2-XXXI, 7-XXXVI, 48-XXXVIII, 1. (k) Monumenta sacra inedita, fragmenta palimpsesta Lipsiae 1855. t. I. pag. 185. Isai. III, 8-14. V, 2-14. XXIX, 11-23. XLIV, 26-XLV, 5. Lipsiae 1857. tom. II. p. 313. Ezech. IV, 16-V, 4. Non tengo conto del frammento pubblicato dal medesimo Tischendorf nel tom. I pag. 211. perchè appartiene al codice sinaitico sopra citato.

